PAVLI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HVN, MARCHIONIS VERONAE &c. DOMINI CREVTZBVRGI PRVSSIAE, PRIMI TOMI MISCELLANEORVM, DE RERVM

caussis & successibus atq; secretiori methodo ibidem expressa, effigies ac exemplar, nimirum, vaticiniorum & imaginum Ioachimi Abbatis Florensis Calabriæ, & Anselmi Episcopi Marsichani, super statu summorum Pontificum Rhomanæ Ecclesiæ, contra falsam, iniquam, vanam, confictam & seditiosam cuiusdam Pseudomagi, quæ nuper nomine Theophrasti Paracelsi in lucem prodijt, pseudomagicam expositionem, vera, certa, & indubitata explanatio.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Ex Officina Typographica Theodori Graminæi.
ANNO M. D. LXX.

EPIGRAMMA

BERNARDI MOLLERI IN PONTIFICVM RHOMANORVM VATICINIA D. PAVLI SCALIGERI Principis opera iam emendata, & ad primi authoris mentem in lucem traducta.

PRodijt efficto Paracelsi nomine codex:
Pontificum codex vaticinatur opus.
Pontificum pictura manet, gloßema recessit:
Nec pietas libro quæ fuit antè, datur.
Mente sit authoris quantum mutatus ab ipsa,
Qui literas vidit lixa, videre potest.
Hæc sunt hæreseos, sunt docti crimina scurræ,
Ad libitum filo ducere cuncta suo.
Ex cerebro promunt, quod vult infanda malorum
Ilias, & proprium fallere scurra cupit.
Dant terras cœlo: mutant quadrata rotundis:
Et nocua miscent arte profana sacris.
Scaliger incedit recto qui limite rectus,
Ex postliminio triste reduxit opus.
Corrigit exploso Paracelsi nomine librum;
Rursus & authori tradidit ipse suum.
Magni Pontificum quia res cognoscere refert,
Hæc igitur doctis iure legenda reor.
Vade liber: vasto tradit te Scaliger orbi:
Liber & auspicio Cæsaris esto liber.
Mœcenate nihil fiat si Cæsare maius,
Quid tum Scaligero lætius esse putem?
Et tum Scaligero melius quid Principe, donec
Austrias Austriaco viuet in orbe domus?
Tuq; pater patriæ Cæsar, tu maxime rerum,
Scaligeri tandem Principis esto memor.
Dum te Spera tenet poteris prodesse: nec obstet
Relligio: vincit relligione pares.
Suscipe Pontifices, & eorum suscipe formas:
Suscipe Scaligeri munera: sume librum.
Sume virum: miseri nihil asperare laboreis.
Principe nil misero tristius esse puto.
His tua (crede mihi) studijs, non propria quærit:
Ausoniam quærit restituisse fidem.

INVICTISSIMO

E4

INVICTISSIMO GLO-RIOSISSIMOQVE SACRI RHOMANI IMPERII IMPERATORI, CAESARI, DIVO MAXIMILIANO HVIVS NOMINIS SECVNDO, RE-

gi totius Orientis, Patri Patriæ, Catholico, felici, augusto. Paulus Princeps de la Scala & Hun, &c. se supplex commendat.



Extus iam agitur annus, Cæsar Opt. Max. quòd ad Ecclesiæ Rhomanæ cōmodum, & tuum emolumētum procurandum & promouendum, Prussia ablegatus sim. Quod vbi animaduertissent Catholicæ religionis aduersarij, omnes artes suas coniunxerunt, quibus impedirent propositum: omnemque idcirco lapidem mouerunt, vt falsa criminatione, & nefaria delatione, in odium & tuū, & Regis adducerer, atq; legatus, publica regis securitate munitus, inauditus, non citatus, indefensus, contra iura legationis, omniumq; populorum leges & consuetudines, proscriberer. Itaque vt hominum conscleratorum, tetram atque immanem, & omni supplicio vindicandam coniurationem, libidinē & tyrānidem, intellexi, mox publicis typis subieci meam apologiam, atque editam in lucem Regi transmisi, meq; à maximo, quod mihi ab impijs hominibus obijciebatur, crimine excusaui, illorumq; vęsaniam ita cōfutaui, vt vniuersa Europa facilè meis partibus subscriberet: Cæterùm preces meæ maximis & continuis cla-

moribus effusæ, nullam mihi hactenus salutem impetrarunt: neq; iam quicquam proficio subsidium iuris implorando. Conuerti igitur animum ad te, & nomen tuum iam aliquoties inclamaui: sed neque tu aures ad voces meas supplices, & queribundas adhibuisti. Inuocaui tandem optimorum virorum præsidium, qui causam meam & legationem dispicerent, & Reuerendissimo Domino, Ioanni è Comitibus de Hoya, Episcopo & Principi Monasteriensi Catholico, docto, prudenti, & Sacræ Rhomanæ Ecclesiæ, atq; nominis tui studiosissimo præsuli, fidem facerent: illeq; deinde re cognita, & tibi, & Pontifici maximo, & Regi, & Senatui, & ordinibus Regni, sicut ex adiuncto literarum exemplari, apparet, innocentiam & legationem meam retegeret. Ego postremò pro Colophone Miscellanea de rerum caussis, tuo nomini dicaui, & Nasi calumnias dilui, & ad Cardinalem atque Senatum de instauranda Rhomanæ Ecclesiæ doctrina scripsi, vnde nulla difficultate meã erga te & Ecclesiam Rhomanã, fidem & obseruantiam intelligere poteris: quibus etiam addidi hisce diebus vaticiniorum Ioachimi & Anselmi de statu Rhomanorum Pontificum, contra cuiusdam Magi proteruiam, tibi haud ingratã explanationem: quam & ipsam tuo numini nuncupo, consecro, & religiosam illam dedicationem, denuò & me quoq; totum etiam atq; etiã tuis commodis defero, summaquę religione deuincio, obsequio do, atq; in perpetuum constituo. His omnibus puto aduersus te satis animi mei candorem, reuerentiam, & fidem, & mendacia hominum amẽtissimorum, quibus in hæc mala fortunarumq; angustias præ-

cipitatus, ſum conſtare: vt nõ videam quid obeſſe poſſit, quo minus veterem illam tuam erga me clementiam, quam tantopere nullam intermittens occaſionem maxima cum humilitate imploro, exorem. Exaudi ergo voces meas Pater Patriæ vnice, percipe quæſo preces meas, attẽde verba & clamorem meum, Rex meus, & Imperator meus. Sanè tantò magis me exaudire debes, quantò maior inde ad Eccleſiam, Imperium, et regnum tuum, ſalus, commodum, & incrementũ redit. Quid obſecro maius et gratius tibi contingere poterit, quàm pax et tranquillitas Eccleſiæ, hæreſum exterminatio, et regni tui iuſtum et honeſtum augmentum? Non putes te hæc vllis Comitijs, vllis Cõcilijs, tot ſumptibus, tot laboribus, et periculis coactis, cõſequi poſſe: legatione mea fortè facilius, quod aio, eluxiſſet. Verba, quæ profero, mea non ſunt: probari poſſunt: neque aliud ſcripta mea omnia ſonant. Proinde cùm et ad te, et ad Eccleſiam tantum emolumenti, ex mea legatione redeat, et ego propter eam tantis malorum fluctib. opprimar, ne quæſo differ auxilium tuũ, quin potius accurre ad ſupplicem tuæ clementiæ, extrahe me ex profundis gurgitibus calamitatum, quib. innocens abſorbeor: eripe vitam meam de manibus ſicariorũ, animam meam ab omnibus proiectam et derelictam, è canũ rabidorum faucibus eripe: erue me ex ore cruẽto leonũ, defende ſalutem meam, ab impetu hominum immanium et ferorum: reſtitue innocẽtiam meam Pruſsiæ, impartire mihi tuas hortatorias, et commendatitias ad regem Poloniæ affinem tuum, dominum meum Clementiſsimum, et effice, vt mihi in Pruſsia ius et fortu-

næ meæ reddantur, & in legum violatores animaduertatur: agè tuum priuilegium habeam, quo typographicas insidias reprimere & libros pro defensione Ecclesię Rhomanæ cõscriptos excudere valeã: tum tua & Pontificia & regia authoritate liceat mihi nulla vi interpellante omnes Vniuersitates & Conuentus lustrare, omnesq; Ecclesię Rhomanę hostes ad publicum certamẽ, vita interposita, prouocare, (neq; enim illi se aliud expetere profitentur) senties demum quid hæc res, & Ecclesię, & tibi, & vniuersæ Reipub. Christianę salutis, commodi, laudis, & gloriæ perpetuæ atq; sempiternæ sit allatura. Plura in eandem sentẽtiam ex Miscellaneis & Vaticinijs istis intelligere poteris. Tuũ iam est optime Cæsar, in re tã ardua & vniuerso orbi vtili ac necessaria ocyus deliberare, et insonti prospicere, Ecclesiæ & tui imperij vtilitati consulere, & debitas pœnas ab impijs tyrannis repetere. Hac ratione efficies profectò, vt et religio et sanctitas in animis mortalium recipiant antiquum dignitatis locum: & populus maximo consensu excitabitur, ad colendum & venerãdum summa pietate nomen Dei: et ego nullo tempore tanti beneficij memoriam deponam, te semper ac nomen tuum splendidissimum celebrabo, inter omnes pios & Christiani nominis cultores: atque ad Deum Opt. Max. preces ardenti pietate incensas, fundere nunquam intermittam, quò extet monimentum in te diuinæ bonitatis admirabile atque semper durans, tuq; res diuinas cõtemplari, iustitiam colere, & humanã societatem tueri, totamq; viuẽdi rationem in modestia, & animi magnitudine atque in rerum humanarum contemptione &

despicientia

respicientia, & in omni virtute ponere perpetuò valeas, ac animum in corpore, intelligentiam conclusam in animo, ita dirigere, vt in terris iustè cum fide ac pietate viuens, ad cœlum migres & secum beatus æuum agas sempiternum Amen. Quod superest Cæsar inclyte, faxit Deus, vt tibi Comitia, quę iam celebras, ex animi tui sententia succedant, tuq; diu Catholicus, augustus, felix, saluus & incolumis valeas, & me clementi responso digneris. Datum Monasterij 3. Id. Iulij 1570.

SEQVITVR EXEMPLAR LITERARVM,

Reuerendissimi, ac Illustrissimi Prę sulis, domini Ioannis è Comitib. de Hoya, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopi et Principis Monasteriēsis, administratoris Osnaburgēsis et Paderbornensis diœcesiū, vigilātissimi, doctissimi et catholicissimi, ad Pium quintum Pontificem Rhomanæ et vniuersalis Ecclesiæ optimū maximum: Maximilianū secundum Imperatorem Cęsarem gloriosissimū: Sigismundum Augustum regem Poloniæ potentissimum: Stanislaum Hosium Cardinalem et Episcopū Vuarniēsem: Iacobum Vckaniski Archiepiscopum Gnesnensem, legatum natum, et regni Poloniæ primatem: N. Padnieroski, Episcopum Cracouiensem: Stanislaum Karnkoroski Episcopum Vuladislauiensem et Pomeraniæ: Adamū Konarski Episcodum Posnaniēsem: Petrum Misckouuski Episcopum Plocensem: Franciscum Craniski præpositum Plocensem, regni Poloniæ vicecancellarium, præsules dignissimos.

SANCTIS-

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO PIO, EIUS NOminis Quinto, Sanctæ Rhomanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici Opt. Max. Domino nostro clementissimo.

Sanctissime ac Beatissime Pater Domine mi clementissime.



Esquiannus iam est, quod ad petitionem Illustris Domini Pauli Scaligeri, intercessorias literas nostras, ad Serenissimũ Poloniæ Regem Dominum & amicum nostrum charissimum ac obseruãdissimum dedimus, quibus deprecabamur, vt ipsi tutò, in Regno, & statibus Serenissimæ Celsitud. suæ, quibus, cùm legationis publicæ munere fungeretur præter culpam eiectus, ac denudatus est, caussam suam contra insultantes aduersarios agere, defendere, & prosequi liceret. Et cùm is nobiscum in non exigua expectatione fuisset, nostras suasq; preces, tantum apud Serenissimam Celsitudinem suam potuisse valere, vt proscriptione abolita & cassa, ipsi accessus tutus, suæq; innocentiæ & caussæ defensio pateret publicè: nihilominus querulenter nobis exposuit, se à Serenissima Celsitudine sua, nihil responsi accepisse hactenus, nec se mirari satis posse: imò animo planè angi, quod & Serenissima Celsitudo sua etiam ne ad nos quidem rescribere, suamq; voluntatem & declarationem patefacere sit dignata. Quæ res, cùm ipsi in detrimentum vergat summum, & mora, qua premitur, S. R. Eccelesiæ, propter quam ablegatus fuit, & cui studium, industriam, fidem & omnem suam operam impendit, parum sit fructuosa: denuò nos cohortatus est, & studiosè rogauit, vt deprecationem nostram ad Serenissimam Cels. suam, non tam propter illius caussam, quàm S. R. E. commodum, & vtilitatem maximam, quam hinc illam omnino percepturam cognouimus,

uimus,

uimus, ipsi impartiremur, quo scilicet Ecclesiæ, ac innocentiæ & defensionis suæ intuitu, regnum, ducatus, status, prouinciæq; demum Sereniss. Celsit. suæ omnes patefactæ ipsi, ac tutæ essent. Id verò à Sereniss. Cels. sua, vt peteremus confidentius, sua effecit innocentia, & fide dignorum quorundam virorum præclara testimonia publica, quibus nos edocuit, ipsi status sui quæstionem, non solùm iniquè, & petulanter motam, sed caussa incognita, eoque absente & legatum agente, ab aduersarys omnia sinistrè tentata, parata, & proscriptionem summo sui & Rhomanæ Ecclesiæ incommodo proclamatam fuisse. Itaque non diffidimus serenissimam Cels. suam non solùm sponte, tanto ac tam eximiæ eruditionis pietatis, & fidei Catholicæ addictissimo viro, ac propugnatori acerrimo, benefacturam, sed clementi & beneuolo animo passuram etiam esse, vt ipsi liceat regnum, terras, & dominia Sereniss. Cels. suæ vniuersa, tutò & absque periculo ingredi, suamq; caussam de iure tutari, & Ecclesiæ Rhomanæ emolumentum per legationem sibi iniunctam prouehere. Quo autem id fiat significantius, & is præter hæc omnia, etiam à Sereniss. Cels. sua, antequam quid contra ipsum statuatur amplius postliminy iure planè restituatur, omniq; studio ac beneuolentia iuuetur, submissè oramus beatitudinem vestram, vt istius rei consequendæ, in nostri & sui gratiam sanctitas vestra simul hortator sit, atque domino Scaligero, suas itidem hortatorias & commendatitias impartiatur, ac pro illo clementissimè intercedere dignetur. Id ea qua est affectus obseruantia erga sedem Apostolicam promerebitur. Quod superest sanctitati & beatitudini vestræ, ad multos annos omnia prospera precamur, & nos eidem deuotissimè commendamus, suamq; desuper expectamus clemẽtem responsionem.

Ex Iburgo 9. Kalend. Marty, 1570.

** Lite-

Literas ad Cæsarem & regem, mutatis mutandis, per omnia eiusdem cum pontificijs tenoris, ordinis, formæ, & continuationis, Episcopus iussit fieri: sed ne illæ quidem, quæ ad Poloniæ præsules sunt datæ, nisi conclusione differunt: videlicet, Reuerendissimam, D. V. studiosè rogamus, vt nobiscum apud Serenissimam Celss. suã deprecator & intercessor, ac promotor sit, & nostra officia sibi quàm paratissima ducat. Valeat R. D. V. cui ad multos annos omnia precamur prospera, & suam desuper expectamus beneuolam responsionem. Datum ex arce nostra Iburg. vt suprà. Subscripsit Princeps, & Secretarius Laurentius Scradæus.

AD



AD ZOILVM.

Hæc quicunque cupis rabie temerare canina,
Ne, precor, occulto ſub lare clauſus agas.
Si tibi quid Pallas tribuit, ſi doctus Apollo,
Dentur ab ingenio publica ſcripta tuo.
Sin minus, at tacitis me perges lædere ſannis,
Zoile: non tecum ſic ego tectus agam.

APPENDIX AD ZOILVM, ET ad vniuersas Sectas.



Vod si verò quid est Zoile, quemadmodum non potest non aliquid esse, quod sugillare, & calumniari in hoc opere valeas: cùm nullum sit remedium aduersus morsus Sycophantæ: Ecce vt veritas, & fidei meæ fundamenta, quibus sanctam, Catholicam, Apostolicam, & quidem Rhomanam Ecclesiam colo, tantò magis elucescat, non tibi hæc mea scripta modò, sed me quoque ipsum, quocunque in loco in arenam mecũ cum omnibus tuis sectarijs descendere voles, siue Rhomæ coram summo Pontifice, & Reuerendißimo cœtu Cardinalium, siue Viennæ Austriæ, coram gloriosißimo Imperatore, eiusque sanctißima Repub. siue Lutetiæ Parisiorum, siue Cracouiæ Polonorum, coram Sereniß. & Christianiß. regibus & vtriusque cùm Aulæ, tum Academiæ, amplißimo consessu, siue Coloniæ Agrippinæ, coram omnibus vniuersi Imperij Illustriß. Electoribus, Principibus, & prudentißimis Senatibus, siue malueris Vvitebergæ Saxonum, aut in quacunque Europæ Academia, Deo fauente, offero: paratißimus, si causſa cecidero, cadere & vita, vt & tu, & tui consectatores consequamini vitam: ea tamen ratione, vt id mihi nulla vi interpellante præstare liceat. Datum Monasterij nono Kalend. Augusti, 1570.

PAV-

PAULI PRINCIPIS DE LA SCALA ET HUN, MARCHIONIS VERONAE, &c. DOMINI CREUTZBURGI PRUSSIAE, PRIMI TOMI MISCELLANEORUM, DE RERUM

caussis & successibus atq; secretiori methodo ibidem expressa effigies ac exemplar, nimirum vaticiniorum & imaginum Ioachimi Abbatis Florensis Calabriæ, & Anselmi Episcopi Marsichani, super statu summorum Pontificum Rhomanæ Ecclesiæ, contra falsam, iniquam, vanam, confictam & seditiosam cuiusdam Pseudomagi, quæ nuper nomine Theophrasti Paracelsi in lucem prodijt, pseudomagicam expositionem vera, certa, & indubitata explanatio.



VATICINIVM PRIMVM.



IOACHIM ABBAS.

Stellas congregabit, vt luceat in firmamento cœli. Aſcende calue vt amplius decalueris, qui non vereris decaluare ſponſam, vt comam vrſæ nutrias: vade & paſce columbam granis puriſsimis à fera peſsima conculcandis: ſed caue ne fatua pietate deluſus, grana infecta, quibus vrſam paſcis, columbæ propines, ne tali cibo infecta grauiter infirmetur, tardè & difficulter curanda.

PAVLVS SCALIGER.

Paracelsus, siue quisquis ille sit Pseudomagus, qui imagines ex Ioachimi Abbatis & Anselmi Episcopi vaticinijs confectas, & vt ille ait, olim Nurenbergæ repertas, se ex fundatissimo veræ Magiæ vaticinio deduxisse & exposuisse profitetur, splendidissimè mentitur. Nam primam hanc imaginem dicit esse Rhomani Pontificis cum duobus vrsis, alteri per os monetam ingerentis. Cæterùm Ioachimus ipsemet interpretatur non monetam sed grana esse. Ita istum pseudomagum aut solas imagines sine autoris adumbratione habuisse, consentaneum est, atq; pro sua libidine & interpretatum esse, & deprauasse: aut si adumbrationes illas vidit, exquisita quadam malitia & impostura magica: non tam magicè, quàm affectatè, libidinosè, nefariè, & mera vesania, atque crudelitate, Pseudomagicè tractasse & consultasse. Nihil dicam de stulto illo illius tripartito genere vaticiniorum, cùm Astrologica prædictio, omnibus pijs suspecta sit, & Cacodæmonibus attributa: nisi fortè per Astrologicam diuinationem, necessitatem Physicam intelligat, quæ ad naturales effectus, & actiones pertinet, quam nemo prudens vnquam negauit, veluti quæ Geneseos libris abundè probatur, & quoq; lib. Regũ cõfirmatur. Magica autem diuinatio, cuius ille facit mentionem, est nihil aliud, quàm quædam consequentiæ necessitas: scilicet Deum pœnas irrogare delictis: sed quando & quas, qualesq;, huius Magiæ non est discernere: nisi aliam Magiam, cuius tamen ibi mentionem nullam facit, putet. De prophetia iam aliud est, hæc enim ad absolutam necessitatem spectat. Quod porrò ad Matthæi capitulum negat referri naturalia signa, sed & Solis & Lunæ amissionem luminis, pestem, terræ motum, famem &c. tantùm figuratè intelligenda esse: huic Pseudomago repugnat concors omnium Catholicorum & vetustissimorum interpretum

ſententia, putà Origenis, Auguſtini, Chryſoſtomi, Effrem, Hieronymi &c. qui & hiſtoricè & figuratè de extremo iudicio Chriſti & Apoſtolorum verba exponunt, ſicut ſuo loco prolixius tractauimus. Neglectis igitur inſani hominis opinionibus, ad rem veniamus, & quidnam voluerint Ioachimus & Anſelmus iuxta propriam illorum interpretationem, & hiſtoricam atq; ſymbolicam veritatē dignoſcamus. Neq; verò curo quo genere illi diuinationis, an ſpiritalis, naturalis, artificioſi, popularis, an dānati vſi ſint, id quod nos Epiſtola de ratione prophetandi, & libris inſtit. Philoſoph. expoſuimus: hoc tantū vrgebimus veráne fuerint quæ prædixerint, & quid quomodóue portenderint. Iſte autem Ioachimus natione Calaber fuit, & monachus ordinis ſancti Benedicti, atq; in Florenſi cœnobio eiuſdem profeſſionis Abbas. Multa ſcripſit, & in omnibus fermè libris ſuis conſueuit miſcere prognoſtica. Commentatus eſt in Apocalypſim & Eſaiam, Ieremiā &c. & contra Petrum Lumbardum theologum librum compoſuit, qui poſtea Concilio Lateranenſi reiectus eſt. Vixit tempore Vrbani tertij, & anno Domini 1178 Veronæ eundem conuenit. Itaque primum Ioachimi vaticinium ad Papam quidem, ſicut & reliqua omnia, refertur: ſed longè diuerſa ratione, quàm Pſeudomagus interpretatur, qui putat per vrſos illos deſignari eos, qui Papæ adſtant, eumq́ dilacerandi poteſtatem habent, auroq́ & argento corrumpuntur &c. Cæterùm veritas rei talis eſt, hunc Ioachimum vaticinatum eſſe, de primo qui ſequeretur Pontificē ex familia Vrſina. Quod præter alios Theoloſphorus de Cuſentia presbyter & eremita libro, quem anno Domini 1386. de ſtatu Eccleſiæ ſcripſit, fol. 8. teſtatur, inquiens hæc vaticinia à Nicolao tertio ex ordine cœpiſſe. Is ergo erat Ioānes de Vrſinis Caietanus nuncupatus, deinde Nicolaus tertius Papa declaratus & inauguratus anno 1277. Appellat illum caluum, amplius decaluandum

uandum, *propterea quòd nõ verebatur* decaluare sponsam, *id est spoliare Romanam Ecclesiam, cuius Episcopus esset*, vt comam vrsæ nutriret, *id est familiæ Vrsinæ prospiceret. Nihil enim in Pontificatu duxit antiquius, quàm Caroli Siciliæ regis potentiam imminuere*, & stellas congregare, quò luceret in firmamento cœli, *id est potentia superare reliquas Rhomanorum familias. Duos proinde vrsos ad eam rem nutriuit, id est, duos nepotes Bertholdum Vrsinum, & Latinum Cardinalem, ad fastigia rerum euexit: illum comitem Rhomandiolæ, hunc Hetruriæ Legatum constituens, quorum opera voti compos fieret. Dum ergo Regem nimis persequeretur, & suos nimis amaret, multaq́; eis condonaret, multa etiam Ecclesiæ decedebãt, & ille caluus decaluabatur. Quapropter inquit*, Vade & pasce columbam, *id est Catholicam Ecclesiam*, granis purissimis, *id est purissima & optima religione, pietate, proposito & intentione: quo nomine, cum literis & nuncijs Rudolphi Imp. recepit omnem Rhomandiolam pro Ecclesia, atque etiam Bononiam, & Hetruriam omnẽ opulentissimas & feracissimas prouincias: sed* à fera pessima cõculcandas, *hoc est à duobus prædictis Vrsis, qui illas ab Ecclesia abalienarunt. Idcirco monet Pontificem*, ne fatua, *id est ficta pietate* delusus grana infecta, *id est bona Ecclesiæ abalienata*, quibus vrsam pasceret, columbę propinaret, *hoc est Ecclesiæ vniuersali obedientiam, & pietatem simularet*, atque eiusmodi cibo illam ad infirmitatem vsq;, quæ difficilè curari posset, inficeret, *scilicet rerum orbis Christiani damno atque incommodo magno: vnde tandem odium non tam patrum, quàm populorum incurrit. Huic enim Pontifici in animo fuerat, duos Reges creare, vtrumq; Vrsinum: quorum alterum Hetruriæ, alterum Lombardiæ præficeret: qui inde Theutonicos partem Alpium incolentes, hinc Gallos Sicili-*

am & regnum Neapolitanum tenentes, armis in officio continerent. Vt verò id ei facere liceret, Petro Aragonum Regi persuaserat, vt iure hæreditario Cōstantiæ vxori suæ regnum Siciliæ repetere anniteretur. Senatoriam autem dignitatem ipse à Carolo ad se transtulit: vetuitq́ perpetuo edicto, ne quis rex aut princeps magistratum ipsum petere, aut obire auderet. Quocirca nepos Latinus Cardinalis in Hetruria Legatus, restitutis vbiq; Gibellinis, Florentiæ ac in cæteris Hetruriæ vrbibus pro arbitrio animi magistratus imposuit. Munus verò Senatorium, quod principibus & regibus demandari consueuerat, ipse solus obiuit. Suos ita amauit, vt aliunde raperet, quod eis condonaret. Nam quibusdam nobilibus Rhomanis castella vi abstulit, ac suis dono dedit: maxime verò Surianum. Itaque imaginis huius hic est sensus, Seges spicis vberibus & crebris in sinistra manu super quam columba sidit, *sunt bona Ecclesiæ, quæ Ecclesia per columbam significatur.* Huius segetis grana, *id est fructum bonorum Ecclesiasticorum,* tradit dextra manu duobus vrsis, *id est largè munificè & liberaliter confert duobus nepotibus, vt* luceāt in firmamento cœli, *id est vt regia dignitate præfulgeant,* super segetem & columbam, *id est fines Italiæ siue Ecclesiæ, quos defendant aduersus Theutones & Gallos, vt dictum est. Vnde manifestè apparet, hanc primam prædictionem Abbatis non ad omnes Pontifices, sed ad hunc solū Nicolaum tertium pertinere, & arrogantem hunc, atque adulterinū Magum, non tam erroris, q̃ splendidissimi mendacij, & certissimæ ignorantiæ veræ magiæ, conuinci. Hæc ita esse, qui vitā Nicolai tertij inspiciat, intelliget, & imposturā Pseudomagi nulla difficultate deprehendet. Quòd autem in hoc Pontifice præter summas virtutes & laudes illius, historijs proditas, quoq; hæc & alia quædam, sicut & in multis alijs, vitia deprehendantur,*

non

non Pontificatui, neque vlli aliæ rei id tribui debet quàm peccatis populi. Deus enim facit regnare hominem hypocritam, propter peccata populi. Iob. 34. Ideoq; nos etiam Petrus Apostolus in prima sua epistola cap. 2. docet subditos esse oportere cuiuis humanæ creaturæ propter Dominum, siue regi tanquam præcellenti, siue præsidibus non solùm bonis ac humanis verùm etiam prauis. Qui enim potestati resistit Deo resistit. Rom. 13. Meritò quoque illis obtemperandum est, tanquam reddituris rationem, pro ouibus suis. Quoniam inquit Apostolus, Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Heb. 13. Itaq; iste Pseudomagus, & omnes illius consectatores, tanquam hæretici, fugiendi sunt, qui tam iniquis & cogitatis ineptijs, atq; imposturis plebem decipiunt, totq; turbulentis erroribus homines palantes implicāt, & in magistratum concitant, & Pontifices maximos in odiū & contemptum populi adducūt. Imitatores enim sunt vetustissimorum hæreticorum, videlicet Hydroparastarum, Templariorum, Fraticellorum, Valdēsium, Begardorum, Beguinarum & similium. An propterea Israel damnandus est, quòd Saul rex etiam à Deo delectus, & prophetiæ spiritu decoratus, tandem inobediens Deo factus, & spiritu maligno agitatus, Dauidem seruum Dei, regem propheticum, tanta atrocitate, & crudelitate insectatus sit? An propterea fugienda est religio Mosaica, aut regij vatis scripta damnanda, quòd Dauid, qui dictus est vir secundum cor Dei, adulterium homicidio copulauerit? An ideo fugienda est Cathedra Mosis, & damnāda scripta Salomonis, quòd videamus Salomonem, cui in principio regni Deus dederat sapientiam vltra mortales omnes, eò dementiæ perductum esse, vt peregrinis simulachris immolaret? Idem fecit successor illius Ieroboam, qui vitulos aure-

los aureos cōflatiles in Dan & Nephtalim posuit, & idololatra, pessimus populū Israel ad idololatriā induxit, vnde totius populi Israel destructio secuta est: & diuisus est vniuersus Israel à domo Dauid, nec secutus est quisq̄ domum Dauid, nisi tribus Iuda, & tribus Beniamin: an propterea igitur fugiēda erat domus Dauid? Ita & hodie potior pars Europæ, & vniuersa Asia, & Aphrica partim hæresi infecta, partim infidelitate circumsepta, diuisa est à sede Petri: Ideoné sedes Petri mala erit: certè non plus quàm Domus Dauid, quam decem tribus dereliquerunt. Sed neque reges Iuda peccatis caruerunt. Roboam enim succedens Salomoni in regno, sed non in sapientia, spreto seniorum consilio, per adolescentum temeritatem conturbans populum duas tantùm tribus retinuit, & ita diuisa Monarchia Dauid, nec vnquam postea instaurata est. Huic successit Abia filius, qui & ipse peccata parentis peccatis suis cumulauit: An propterea detestandum erat regnum Iuda? Asa successor Abiæ licet per annos. 36. morem gesserit Deo & idola ex domo patris sui Dauid abstulerit, tādem verò & ipse fœdus cum rege Syriæ percutiens displicuit Domino. Iosaphat quoq; (bonus aliâs) impijs regibus Israel quandoq; præstitit auxilium. Ioram succedens pessimus fuit, & occidit fratres suos, & vestigia regum Israel secutus est. Ochosias filius, patris similis extitit. Ioas successor à Iorade Pontifice rex constitutus, cunctis diebus Ioradis rectè vixit, quo mortuo & ipse desijt esse bonus, & lapidari iussit Zachariam. Amasias successor, post bona initia malum habuit finem, qui etiam Deos Seyr adorauit. Ozias Amasiæ filius, benè quidem coram Domino incessit, sacerdotium tamen vi sibi vsurpauit, sub Azaria pontifice: idcirco lepra percussus, & regno deiectus fuit, atque pro ipso Ioatham filius regnauit. Achas filius Ioathæ pessimus fuit idolo latra. Ezechias filius optimus equidem: sed etiam hic, siue propter elationem, siue

propter

propter elationem, siue propter ægritudinem ad mortem vsque valetudinarius fuit. Manaßes filius Ezechiæ peßimus fuit idololatra, & prophetas occidit, licet postea pœnitentia ductus, veniam obtinuerit. Amon filius patrem imitatus est quidem in vitijs, sed non in pœnitentia. Iosias successor pius & optimus diuinæ legis per omnia fuit sectator. Cæterùm & ipse peccauit, quia contra voluntatem Domini pugnauit aduersus regem Aegypti. Ioathas successor totus malus fuit. Iechonias succeßor & ipse malus fuit: Sedechias successor tertius filius Iosiæ, & vltimus regum Iuda & Ierusalem, quoq; malus per omnia fuit, atq; ideo quia non audiuit Ieremiam prophetam, perijt, & omnis Iuda cum eo, abductus est in Babylonem, cui & oculi sunt eruti, & filij occisi, & vniuersus populus à Chaldæis trucidatus: & qui gladium effugerant, in seruitutem redacti sunt Chaldæorum. Atque hæc series regum Iuda, est linea Christi, in qua nemo peccatis, pauci idololatria caruerũt: an propterea regnum Iuda abijciendum, aut linea Christi, quasi inde Meßias non promanaret, negligenda erat? Ita fac pontifices omnes mali sunt, an ideo pontificatus malus? Nihil dicam de pontificibus, qui præcesserunt vaticinia Ioachim, & Anselmi equidem sanctißimis tum Martyribus, tum Confeßoribus: hos solos inspicias, qui his vaticinijs describuntur, nulla difficultate senties, longè plures bonos fuisse pontifices Rhomanos, quàm reges Iuda. Quare sicut propter malos reges, regnum non erat malum: ita propter quosdam malos pontifices, pontificatus minimè censendus est malus. Post reditum autem populi Israel de Babylone, exactis regibus, pontifices & duces in augurabantur, qui modus vsque ad Herodem seruatus est: vt videlicet summi sacerdotes tenerent primatum, duces verò essent substituti, semper tamen duces erãt de tribu Iuda, iuxta prophetiam Iacob, Non auferetur sceptrum Iuda, & dux de fœmore eius. Quorum

primus pontifex Ihesus, & Dux Zorobabel. Hunc Ducem secutus est Abiud, de quo & sequentibus vsq; ad Ioseph nihil habetur in scripturis, nisi quòd à Matthæo numerantur ita: Abiud genuit Eliachim, qui Azar, qui Sadoch &c: Quocirca gesta illorum debitè cognosci nequeunt. Ex pontificibus autem Ihesum secutus est Ioachim, & Elizaphat boni, Iudas sanctus quidē, sed multis seditionibus agitatus. Ioannes quintus pontifex Hebræorum, & filius Iudæ, fratrem Ihesum, qui ad pontificatum aspirabat, occidit. Iudas sextus pōtifex optimus fuit. Onias filius & ipse bonus & pacificus. Simon filius Oniæ cognomine iustus. Eleazarus, Ptolemæo Philadelpho iubente 72. legis interpretes in Alexandriam misit. Onias filius Simonis secundus. 11. Hebræorū pontifex mente paruulus, pecunijs auarus. Quamobrem tota penè Iudæa periclitata est, quòd zelo auaritiæ negauerit tributa Euergeti Aegypti regi. Simon filius Oniæ. 21. Pont. bonus. Onias magnus Simonis filius, qui fugiēs tyrannidem Antiochi, in Aegypto exstruxit templum simile Ierosolymitano, grauiter peccauit. Simō filius Oniæ bonus, habuit tres filios, Oniam, Ihesum, & Ioannem, qui postea ad tres principatus sacerdotij peruenerunt. Onias fuit pius, qui tandem ab Andronico occisus est. Iohannes genuit Mathatiam sacerdotem, qui habuit quinq; filios, Iudam, Ionathā, Simonem, Eleazarū & Ioannem. Mathatias aūt sacerdos, non fuit pontifex. Quia Demetrius Sother, Syriæ & Asiæ rex, filius Seleuci, occiso Antiocho Eupatore, & Lysia tutore, Alchimū pōtificem cōstituit, cum quo Bachides missus Ierosolymam, multos Iudæorū occidit. Huic se Iudas Malchabæus filius Mathatiæ opposuit, & Nichanorē occidit. Hic Iudas fuit vir bellicosissimus, & fortissimus, & tantus triūphator, vt Israel nec ante se, nec post se parē habuerit, cuius gloriosa facinora libris Machabæorū expressa sunt. Hic templū triennio profanatū, cum fratribus purgauit: Postremò tandem pro le-

ge Dei, cũ tribus annis Põtificatũ administrasset, in bello cecidit. Huic successit Ionathas frater, & põtifex & Dux Iudæorũ, non impar Iudæ fratri virtute, qui posteaq̃. 19. annos rexisset populũ Iudæorum, à Triphone dolose captus, cũ filijs interficitur. Simon tandem succedit, frater Ionathæ, filius Mathatiæ, tertius Iudæorum Dux, pariter & pontifex, qui sedit annis 8. religiosus & prudentissimus, & ipse nequiter à genero suo occisus. Iohannes Hircanus Simonis filius, à Ptolomæo duce in conuiuio Ierichi iure obtinuit Sacerdotium, idq́; 23. annis gessit optimè. Hunc secutus est Aristobulus filius, & ipse bonus pontifex & Dux, à Rhomanis amicitiã impetrauit: sedit annis 26, & multas seditiones à Pharisæis & Essæis pertulit: tandem verò matrem cum duobus fratribus in vincula coniecit, primusq; diadema regni sibi inposuit, & fuit rex & sacerdos vno tantùm anno: fratrem suum interfecit. Huic successit frater Alexander, rex & sacerdos, regnauitque annis 27. fratrem suum secundò à se genitum occidit: tertium regno priuatum secum viuere coegit: hic vsque adeò tyrannus fuit, vt spacio sex annorum mille seniores peremerit, octingentos quoq; vxoratos viros vnâ cum vxoribus ac liberis in plateis patibulis affixerit, qui eius crimina detestabantur. Hic habuit duos filios, Hircanum & Aristobulum, & post mortem regnum reliquit Alexandræ vxori, quæ plurimum apud populum gratia valebat. Itaque Hircanus filius Alexandri, vigesimustertius Iudæorum pontifex à matre constituitur, qua mortua Aristobulus arma mouit aduersus fratrem Hircanum, illumq́; in campis Ierichontinis vicit: Hircanus autem ad Aretham regem Arabum confugit, indeq́; reuersus cum magno exercitu Ierosolymam obsedit. Visa hac fratrum dissensione, Scaurus soluit obsidionem ratus temporis conmmoditatem adesse, qua Iudæam tributariam Rhomanis subigeret. Quocirca Pompeius Ierosolymam veniens,

in vrbem Hircani factionibus receptus, templum expugnauit, & profanauit, licet inde nihil tulerit. Tandem Hircano de nouo principatum sacerdotij donauit, & Iudæam sub tributo constituit, Aristobulum cum duobus filijs Alexandro & Antigono, totidemq; filiabus, captiuos Rhomam abduxit. Alexander Aristobuli filius, dum cum patre Rhomam abduceretur, elapsus est, & Hircano patruo insidias tetendit: verùm Antiochiæ à Scipione securi percussus perijt. Antigonus tertius frater, solus cum duobus filijs è captiuitate Rhomana euasit, & Cæsarea, Iudæaq; potitus, Antipatrum Idumæum, virum strenuum, Iudææ procuratorem cõstituit, & rursus patruo suo Hircano regnum concessit: ita tamen vt non rex vocaretur. Antigonus ad Pachorum Parthorum regem confugit, & ibi vsq; ad obitum Cæsaris permansit: deinde vrbem expugnauit, & comprehenso Hircano, aures illius dentibus truncauit. Quamobrem M. Anthonius astante Octauiano, Herodem regem Iudææ declarauit: qui violenter vrbem ingressus, Antigonum comprehendit, & ad Anthonium in Antiochiam vinctum remisit: vbi securi & ipse percusus interijt. Atque hic est finis generis Asamoneorum, quod de familia sacerdotali fuerat: & regnum Iudææ, atque per successionem sacerdotium, vicina iam natiuitate Domini nostri Ihesu Christi, defecit. Et sic Mosis prophetia impleta est, Nõ deficiet princeps de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. Iste Herodes Hircanum principem sacerdotum, & eius filium, qui patri in sacerdotio succedere debuerat, interfecit: scribas præterea omnes, postquam multa funesta scelera perpetrauisset, ac diuinæ legis interpretes interemit. Paruulos in Bethleem simili scelere, cùm Ihesu Christi natiuitatem Magorũ indicio cognouisset, peremit. Quo facto Herodes repente morbo intercutis percussus, & scatentibus toto corpore vermibus mise-

bus miseram exahalauit animam, quinque superstitibus filijs, scilicet Archelao, Herode Antipa, Antipatro, Lysania, & Philippo. Ex quibus quatuor fuere Tetrarchæ, vt ex Euangelio apparet. Deinde cùm Valerius Rhomanus à Tiberio imperatore procurator in Iudæam missus fuit: is suscepto magistratu primus apud Iudæos pontificatum vendere cœpit: & dum præfuit multos pontifices successiuè posuit & amouit. Et primò quidem Annam à sacerdotio amouens, Hismaelis Iabi cuiusdam filium pontificem designauit: sed & hunc non multò pòst abyciens, Eleazarum Annæ pontificis filium in sacerdotem surrogauit. Post annum autem, & hunc ab officio remouens, Simoni cuidam Cemiti filio, ministerium pontificatus tribuit, sed non amplius & ipse, quàm vnius anni spacio est perfunctus pontificatu. Quo amoto, tandē Caipham pontificem maximum constituit, virum arrogantem, & alienæ felicitatis inuidum. Hos autem duos pontifices Euangelista commemorat: quia captus Ihesus in horto continuò per satellites ad Annam primò ductus est, tanquam socerum Caiphæ, & tandem Annas misit eum ad Caipham. Hanc pontificum seriem ideo recitaui, vt Neopisti videant, etiam ex pontificibus semper plures fuisse malos, quàm bonos: non tamen propterea pontificatum, aut Cathedram Mosis fuiße reyciendam, & funditus euertendam, quòd scribæ, & Pharisæi, tam deprauatis & perditis moribus, fictaq; pietate, Christi acerrimi hostes ad mortem vsq; fuerint, Christus ipse testatur docens, eos in Cathedra Mosis sedentes audiendos esse, nec nisi eorum opera fugienda. Hîc Christus illegitimis pontificibus, pecunia & malis artibus qui pontificatum consequuti fuerant, obtemperandum esse præcipit: & nos pontificibus in Cathedra Petri legitimè sedentibus minus obtemperabimus? nonne etiā prauis non tantùm bonis Petrus apostolus, vt supra retuli, iubet nos oportere subditos esse?

An propterea Apostolatus detestandus est, Quia Iudas apostolus existẽs, Christũ Iudæis tradidit? aut quia Petrus Apostolorũ princeps, qui fortẽ vsq; ad mortis societatem animũ professus est, ter Dominũ suũ abiurauit? aut quòd Paulus Christianos acerrimè insectatus sit? imò verò ordo Dei, verbũ ipsius, & Ecclesiæ spiritus spectandus est: non personæ. Prophetauit Deus per Caipham, quia anni illius pontifex erat: cui aũt dubium, quin Caiphas homo perditissimus fuerit? nõ idcirco Caiphas erat audiendus, quia Caiphas esset, sed quia pontifex, per quẽ Deus loquebatur. Quis est expers peccati? Ioannes apostolus Certè mendacẽ eum dicit, omnisq; veritatis expertem, qui se peccati labe immunẽ profitetur. Si ergo nõ est, qui faciat bonũ vsq; ad vnũ, vt quid igitur nos mutuis cõuicijs proscindimus? quid est, quòd alter alterum iudicamus? sanè non aliam ob caussam, quàm vt tandem nos ipsi iudicemur: tales enim certa manet cõdemnatio. Videamus oẽs reges à Deo institutos, continuamq; Christi regalem lineam, & pontificum omnium, paucissimos profectò deprehendemus bonos, longè plures malos & idololatras: & tamen ex illis nasci Christus voluit, & eos, qui se morti adiudicarunt, audiendos esse docuit, in Cathedra Mosis sedentes: quantò magis ergo pontifices in Cathedra Petri sedentes audiendi erunt? si illi audiendi erant, quorum successio destructa fuit, quorum sacerdotium finitum, quorum regnũ defecerat: quantò magis ij audiendi sunt, quorum successio floret, quorum sacerdotium est sempiternum, vt regius vates psal. 109. testatur: quorum deniq; regnum sine fine manebit? Nam etiamsi temporibus Antichristi, cuius præcursores hodie plurimi conspiciũtur, obscurabitur, aut consummatione seculi obliterabitur, tamen tantò clarius & infinitis modis præstantius redibit, instaurabitur, & elucescet. Mosaici sacerdotij & regni finem nobis & Iacob, & Moses prædixére: Christi autem regni & Sacerdotij, Dauid testatur

ſtatur perpetuum atque ſempiternum fore ordinem, illumq́ ſecundum præſcriptum Melchiſedeci. Itaque ex his omnibus liquidò conſtat, Cathedram Petri omnino eſſe obſeruandam, & in illa ſedentes etiam malos, eſſe venerandos, propter ordinem per Chriſtum inſtauratum Melchiſedeci. Nam, vt dictum eſt, malos Pontifices & magiſtratus dat nobis Deus, propter peccata noſtra. Nobis ergo & noſtris peccatis malitiam vel pontificum, vel magiſtratuum tribuamus, & non aut Pontificatui, aut Pontificibus, aut magiſtratui. Hodie verò pro dolor omnes ſe egregios ſpectatores præbent alienorum delictorum, ſuorum ne meminerunt quidem. Sed valeant hæc portenta, quæ certiſsimum idcirco manet exitium: valeat inſanus Pſeumagus cum ſua emētita Magia, & portentoſis figmentis, cuius inſignis malitia, & clariſsima impoſtura, vel ex quinto vaticinio patebit. Hic enim negat, Deum ex linea Papæ verbi Dei precones excitare. Adducit rationem: (puto Magicam ſi dijs placet) Quia Petrum & Andream ex reti piſcium, & non ex Caiphæ, vel Annæ linea excitauit: atque ideo, inquit, multo minus ex linea Rhomani Pontificis, aut ex eius numero verbi ſui concionatorem verum excitabit. At autor illarū figurarum, figura quinta dicit, Pontificem illum per eandem figuram deſignatam, benedictum fore, & in nomine Domini venturum, & ſponſum legitimum ſponſę, *id eſt Eccleſiæ Rhomanæ* futurum, *vt ibidem videre eſt. Deinde iſtius Pſeudomagi magia, neſcio ex qua ſentina & cloaca flagitiorum deſumpta, quàm egregiè argumentetur, vel idiota ſecernere poteſt. Lex enim & Prophetæ vſque ad Chriſtum: Euangelium à Chriſto initium habet, Lex à Moſe. Sacrificij legalis ordo Leuiticus fuit: neque ex alia tribu, quàm ex Leui ſacerdotes veteris legis fiebant, qua finita, meritò & ordo finitus fuit. Cumque nouæ legis ſacerdotium inſtitueretur, quis non videt, non ex ordine Leuitico, ſed*

co, sed ex ordine Melchisedech, cuius Malachias meminit, sumendos fuisse sacerdotes? Petrus ergo & Andreas, non propter Caipham vel Annam, sed propter finem legis, & Leuitici ordinis adimpletionem, secundum ordinem Melchisedech à Christo sacerdote & summo Pontifice sacerdotes & Apostoli instituti sunt. Et siquidem hic ordo Melchisedech æternus est, dicit enim Psal. 109 Tu es sacerdos in æternum secūdum ordinem Melchisedech: quid insanit insanus Pseudomagus, & fore ait, vt sicut Leui ordo cessauit, ita cessaturum & ordinem Melchisedeci, & nescio quemnam alium subsecuturum comminiscitur? Quid igitur ait Malachias? Non est, inquit, mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu Solis vsque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens. His Prophetæ verbis manifestè probari Missæ sacrificium docet vetustissimus martyr Irenæus lib. 4. cont. hæres. Valent. cap. 32. Sed & suis, inquit, discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi, nec infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens, Hoc est meum corpus. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat primitias suorum munerum in nouo testamento, de quo in 12. Prophetis Malachias sic præsignificauit, Non est mihi voluntas &c. manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus.

bus. Hæc ille. Vnde constat & Leuiticum ordinem cessasse, & Melchisedechicum æternum fore, & Magi huius vanitatem & imposturam omni supplicio vindicandam esse.

VATICINIVM II.



IOACHIM ABBAS.

Clauibus claudet et non aperiet. Post Lunam ascendet Mars, sitiens sanguinem baptismalem: ascendet autem de turri ad altissimum solium, qui Solem cla

risſimum obfuſcabit. Cum lilio et cruce aquilam cruciabit. Minimè ædificabit mihi templum, quia vas ſanguinis eſt: zelo immoderato, virtute ſimulata, denigrans et diſsipans ſuperflua: ſolus cunctans pacem, deuorans vniuerſa.

PAVLVS SCALIGER.

Per Lunam *intelligit Nicolaum tertium, qui quo ad Eccleſiam decreuit, et quo ad ſuam familiam, quā euexit, creuit: & res dubias poſt ſe reliquit. Poſt huius inquit Pontificis mortem, eligetur alius, patria de* Turri, *qui bello profundet Chriſtianum ſanguinem. Hic ergo fuit Martinus quartus, Simon antea vocatus, tituli ſanctæ Ceciliæ preſbyter Cardinalis, natione Gallicus, patria Turonenſis.* Qui aſcendit de turri, *id eſt, de Turonenſi patria ortus, ad* altiſsimum *gradum ſcilicet Pontificatus* & obfuſcauit ſolem clariſsimum, *id eſt Palæologum Imperatorem, pacta Lugdunenſis Concilij non ſeruantem, & Petrum Aragonenſem, contra ius faſque Siciliam occupantem, excommunicauit,* atque ſanguinem baptiſmi effudit, *quia bellum contra Foroiulianos ab Eccleſia deficientes in Flamminia geſsit. & cauſſam dedit Vrſinis, vt Ioannes Latini fratris vlturus iniurias, tutaturusque dignitatem ſibi à populo Rhomano traditam comparato ſatis iuſto exercitu in Viterbienſes mouens, eorum agros longè ac latè populatus ſit, & Palæologus cum Petro Aragoniæ rege aduerſus Carolum regem Siciliæ inito fœdere bellum grauiſsimum gereret. Deinde etiam hic Martinus* Cum lilio et cruce aquilam vexauit, *quia auxilio Caroli Siciliæ regis Ludouici Galli fratris & Imp. Conſtantinopolitanum anathemate notauit, & ſuis artibus noui motus in Ciſalpina Gallia oborti ſunt, Turriani admodum potentes Mediolano pulſi, Florentin*

rentini & Lucenses grauissimis incursionibus, per Luchinum in Hetruriam Vicarium ab Imperatore missum, spretis Pontificis interdictis, vexati, ac inter reges funestissimæ clades secutæ. Itaque minimè ædificauit Ecclesiam Domino, quia vas sanguinis fuit: *nam inter alia propter regnum discordiæ, Galli nullo sexus discrimine habito audita vesperi campana cæsi sunt. Qua in re adeò certè sæuitum est, vt etiam mulieres Gallico compressu prægnantes, cæsæ dicantur. Hinc tritus ille sermo est, cùm quis multorum interitum exoptat, vt* vesperas Siculas *commemoret. Quocirca Martinus quartus* immoderato zelo *qua erga Carolũ afficiebatur, &* virtute simulata denigrauit et dissipauit, quæ residua erant, *vt Carolus filius Caroli magna calamitate affectus, & superatus non longè à Neapoli ingenti suorum clade, in Siciliam primùm, deinde in Aragoniam captiuus abductus sit. Quare Pontifex grauibus censuris interpositis, dedit in prædam occupanti regnum Petri. Atque ita* dum cunctaretur *Pontifex* pacem, *& suppetias Carolo,* deuorauit vniuersa, *quia odijs & bellis intestinis cuncta in ruinam conuersa sunt.* Ita clauibus clausit, quod aperire debebat *excommunicando Palæologum & Aragonem. Insanit igitur insanus Pseudomagus, qui hanc Prophetiam, contra expressam mentem autoris, non dubitauit, seditiosa sua expositione, eò detorquere, vt omnium Paparum spem atque solatium hoc vaticinio assereret in Galliæ rege sitam esse: & hoc pacto Dominium Cæsaris suis ceruicibus Papas excussisse. Iam porrò nemo non videt, qui vel obiter Martini historiam legit, hoc vaticinium, in solum Martinum quartum, quadrare.*

VATICINIVM III.



IOACHIM ABBAS.

Duros corporis ſuſtinebit labores. Accipe ſupplã-tator excelſos honores: arbor inutilis, & infructuoſa, quid cogitas te facturum ingentia, cùm ſis mente & corpore debilis. Implere quæ cogitas non valebis. quia modicum vigilabis, citò dormies et non ſurges, ſemper in tribulatione viues, quamuis parum.

PAVLVS

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinium Pseudomagus in locum septimum retulit, vsque adeò suæ magiæ peritus scilicet. Quod si Mago credendum esset, non Nicolao quarto, sed Benedicto duodecimo conueniret. Istæ autem prophetiæ ita sunt dispositæ, vt ex ordine Pōtificibus immineant. Quare & hîc Pseudomagus quantum aberret, etiam cæcos latere nequit. Est ergo sensus, Martino quarto successurum Honorium quartum, patria Rhomanum, è gente Sabella. Hic Honorius excelsos honores consecutus, *licet neminem lædere in Pontificatu suo constituisset, omnibus prodesse quo ad fieri poterat, prouocatus Petri Aragonum regis iniuria, qui regnum Siciliæ occupare conabatur, Martini interdicta contra Petrū confirmauit, atq; hinc* supplātator *factus est, &* arbor inutilis, & infructuosa, *quia dū Edoardus Angliæ rex in Vasconiam se confert, pacem compositurus inter Carolum adolescentē regis Franciæ filium, quem diximus bello captum, & Ferdinandum Aragoniæ regem (Petrus enim pater ex vulnere ad Gerundam accepto, sub hoc Honorio mortuus est, & filijs Ferdinando & Iacobo relictis, huic Siciliam, illi Aragoniam ex testamento reliquit) confecta iam ex sententia res erat, & de libertate Caroli agebatur, cùm interim legatus Apostolicus & Comes Atrebatensis Auelini Comite adiuuante, Cathinam vrbem occupant, eoque ex Hetruria collectas copias transmittunt. Hanc ob rem Edoardus re infecta in patriam redijt. Deinde superato Guidone Feltrano Honorius Flamminiam recipit. Multa mente voluebat, & plurimum ad propositum suum facere putabat quòd Rudolphus Imperator comparandæ pecuniæ studiosus, in Hetruria populos liberos faceret, eos potissimum, qui se pecunia redimerent. Hæc inquam venditio non displicuit Honorio (licet indigna tanto principi videretur) quòd ea ratione Elclesiastica ditio,*

futura securior videbatur, cũ nõ amplius liceret Imperatori liberas ciuitates vexare. Itaq; quãuis & corpore *propter podagrã &* mente *propter Gallicas factiones, quia vbiq; Gallorum regũ partes fouit,* debilis fuerit, plurima tamẽ cogitabat perficere, *nisi tribulationib. & duris laboribus quos sustinuit cõfectus citius, videlicet anno secũdo sui Põtificatus, mortuus fuisset. Ita et hoc vaticiniũ iuxta seriẽ historicã peroptimè Honorio quarto cõuenit: & Pseudomagi insania manifestè apparet, qui hinc figurã septimã confecit, Papã videlicet claues gerẽtem, quẽ claua feriat famul⁹. Neq; enim* claua *est quã gestat* famulus, *sed* arbor inutilis siue truncus, *sicut vaticiniũ habet & vetustissimæ figuræ ad oculum exhibent, quarũ nobis ante lustra tria Ferdinandus rex postea Cæsar inclytus, copiam fecit, & iam Typographus noster, antiquitatis, & rerum abditarum studiosissimus, Theodorus Graminæus, antiquo typo, antiquitus excusas transmisit. Itaque & figuræ ordine & iconibus ipsis incognitis, quomodo futurorum seriem explanabit? Vnde nullo labore constat, Pseudomagum illum ex proposito figuras illas siue imagines corrupisse, & contra autoris mentem pro sui animi libidine detorsisse. Attribuit homo ignarus hanc imaginem Sibyllæ, cùm tamen Abbatis Ioachim sit, vt prædicta vaticinia testantur. Cùm ergo iste Pseudomagus non habeat verum Iconis discrimen, nec sensum inde verum depromere potest, taceo quod & hanc imaginem, sicut & reliquas, in genere ad Põtifices petulantissimè referat, atq; hinc Pontificum siue cleri, & populi discordiam perperã eliciat. Quod aũt* caput penes pedes Pontificis *& famuli descriptũ sit, denotat mortem regis Petri, qui ex vulnere vt dictum est occubuit. Famulus autẽ ille cum trunco* Ioachimum Abbatem vel spiritum propheticum significat, *qui vt suprà Pontificem alloquitur. Valeat igitur homo impudens, cum suis somnijs.*

VATI-

VATICINIVM IIII.



IOACHIM ABBAS.

Oriens bibit de calice iræ Dei.

Omnino ad maximum gradum aſcendiſti miſer, de cœlo ſtellato regnans planeta, deſcendiſti in baratrum vanitatis, primam ſponſam viduatam relinquens. Heu, heu imprudens, qui es totus circa turpe nutrimentum Vene-

Veneris occupatus: ad terram benedictionis non cogitas: tua in parte negligentia perdurat: cùm hoc audis irremediabiliter luge, erit enim tribulatio, qualis non fuit ab initio, vsque modò: quadrante viues, et subitò in Babylone morieris: vir mortis es, sed aliqua bona sunt in te inuenta. Cede igitur maiori, et meliori te, quia Dominus transtulit à te regnum Dei. In oriente commotio, et post commotionem ignis deuorans vniuersa.

PAVLVS SCALIGER.

Pseudomagus impudentissimus impostor & hîc deprauat imaginem, depingit enim Papam inter duos sedentem medium, dextráque tenentem anguem, & vas auro plenum, quod iuueni porrigit egregio: pauperem verò sinistra manu detrudit senem, ac à se repellit. Deinde hanc imaginem collocat octauo loco, cùm quartum sibi iure vendicet, autore ita decernente, & explicante, vt sit Pontifex *medius, & ex parte sinistra* vidua *cui manum* humeris apposuit *valedicens, ex parte dextera* iuuencula, *cui porrigit manu dextra quam* draco *morsu impetit* poculum vini, *& non vas* auro plenum. *Sensus igitur est, quòd Honorium debeat sequi Pontifex sub quo Oriens bibat de calice iræ Dei, id est sub quo Thurcus inuadat orientales regiones. Is fuit Nicolaus quartus, natione Picenus, patria Asculanus, Hieronymus antea vocatus, Ordinis minorũ frater & generalis. Hunc dicit ad* maximum gradum ascendisse miserum, *id est ad Pontificatum maximum, & de* cœlo stellato regnantem planetam, *id est ex sancto Seraphico ordine, in quo generalis tãquam planeta regnans præerat minoritis* descendisse baratrum

trum vanitatis, *id est seculi huius delicias, pompam, luxum, & curas atque molestias. Primam sponsam* viduatam reliquit, *id est monasticam vitam deseruit, & imprudens totus se conuertit ad turpe* nutrimentum Veneris, *id est ad seculi huius fastigium. Quocirca* vidua *illa Monasticam vitam,* iuuencula *verò huius seculi culmen & gloriam portendit. Itaque ad* terram benedictionis, *id est ad cœlestem illam Hierusalem non cogitat, quia negligentia circumseptus detinetur. Ideò hortatur illum vt se* audiat *&* lugeat, *quia futuræ sunt inquit angustiæ &* tribulationes *inauditæ & incredibiles. Erant enim Rhomæ variæ seditiones sedente Nicolao, variæque Christianorum dissensiones & dissidia, quib. dissidijs fretus Soldanus, Tripolim Asiæ ciuitatem insignem, interfecto Christianorum præsidio, igni ferróque euertit. Parem calamitatem & Sidon & Barutum pertulere. Restabat Ptolemaida (vulgo Acon, cuius Episcopus Ioannes Gritto, hodie suffraganeus Mediolanensis Vestphaliæ, id est Monasteriensis, vir apprimè doctus, multarum rerum experientia præditus, pecunijs pro sua conditione prædiues, viget) in annos duos inducias à Soldano consecuta. Hanc vt tueretur Nicolaus Pontifex, milites ad vexillum Christi vocat, ære suo conductos. Hi ad mille & quingēti fuere. Hos postea multi nullo dato nomine, nullis signis & auspicijs secuti, cùm Ptolemaidam peruenissent, non minora Christianis, quàm Sarracenis damna intulere. Soldanus autem cùm res suas repetijsset, nec redditæ essent, nostris omnibus exitiū comminatus est. Magna inter Christianos de possessione Ptolemaidæ concertatio tum orta erat, cùm eam Patriarcha Constantinopolitanus, Templarij Theutonici, rex Cypri, Siciliæ rex Carolus vindicare anniterentur. Erat & Pisanis in animo Ptolemaidam repetere (vt ipsi dicebāt) suo iure, quos profectò bellum in Hetruria ortum à tanta rei fœ-*

ditate auertit. Gibellini in Guelphos concitati, omnibus pariter exitium minabantur. Quocirca in Aretinos primùm arma conuersa sunt, petētibus id exulibus Gibellinis. In agro Tiphernate collata sunt castra castris, commissū prælium, magnaq́; de Florentinis Guelphis cædes fieri cæpta: verùm nō ita multò pòst mutata fortuna, cadentib. in prælio Guilielmo Petramala Aretino Episcopo, et Feltrano comite, ex Gibellinis ad tria millia interfecta, & duo millia capta dicuntur. Oppugnabatur tum & Caieta à Iacobo Aragone. Et ne quid deeßet ad perturbādam Christianorū quietem, inter Philippum Franciæ, & Edoardum Angliæ reges grauißimum bellum exortum est: quæ res et Christianos in Asia mirificè perturbauit, et hostib. nostris delendi in Asia Christianū nomen audaciam & spem dedit. Soldanus enim qui tum ægrotabat, & paulò pòst mortuus est, ad centum et quinquaginta millia hominum, filio duce Ptolemaidam miserat, quā ferro ac flamma euertit. Eodem tēpore mortuo Rudolpho Imp. electus Adulphus Haßus, ab Alberto Rudolphi filio in agro Spirensi prælio interficitur. Nicolaus aūt Pontifex tædio animi, quòd malè sibi omnia cedere videret, quodq́; etiam plus q̄ Pontificem decebat, in partes declinauerat, Rhomæ sui pontificatus anno quarto moritur mēse vno, die octauo. Idcirco inquit Abbas quadrante viues, et subitò morieris. *Expletis enim quatuor annis, mensem vnū et dies octo nō excesßit.* vir *inquit* mortis es: sed aliqua bona inuēta sunt in te. *Oēs enim pariter amabat, nec plus se debere affinibus & cognatis, quàm cuiuis bono arbitrabatur. Virtutes & vitia faciebant vt in hunc magis, quàm in illum inclinaret. Ceterùm quia vir mortis erat, ob causas enumeratas, subijcit Abbas,* Cede igitur meliori, *id est Cælestino quinto: quia* Dominus transtulit à te regnum dei, *id est Pontificatum, siue patrimonium Christi,* In Oriente commotio, *id est discordiæ*

Christia-

Christianorũ, & post commotionem ignis, *id est Soldanus,* deuorans vniuersa. *Cùm ergo Pseudomagus huius vaticinij figuram ad Pontifices omnes, omnesq́; presbyteros de iuniorib. fœminis &c. multò magis, quàm de vetulis sollicitos detorquet, eosq́ue meretricib. dare pecunias, honestis verò pauperibus & viduis nihil: patrem ac matrem ac honestatem omnem deserere, vt meretricibus adhæreant, nugatur: egregiè more suo delirat, seq́; & magiæ suæ, & rerum ignorantissimum ostendit.*

VATICINIVM. V.



IOACHIM ABBAS.

Voce vulpina perdet principatum. Benedictus qui venit in nomine Domini cœlestium omnium contemplator, simplex eductus de terra tenebrosa ascendit, & descendit. nam vox gemina & vulpina ipsius principatum vorabit, et tribulatus peregre morietur. O quantum dolet sponsa de casu legitimi sponsi, ad deuorandum tradita leoni. Cur ô simplex homo sponsam dimittis truculenti canis latratibus tribuendam. Cogita nomen tuum, et prima opera fac, vt recipiaris in partibus orientis.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinium Pseudomagus loco tertio ponit, cùm tamen autor illud quinto tribuat. Deinde hypocrisim Pontificiam ille hac imagine describit, quasi verbis, Pontifex Deum adoret, corde vulpes existat. Cæterùm veritas ita habet. Pontifex qui Nicolaum sequetur, pius & sanctus erit, atque vulpina quorundam persuasione Pontificatui renunciabit. Talis fuit Cælestinus quintus, Petrus Moroneus antè vocatus, professione Anachorita, patria Eserniensis, secundo à Sulmone miliario Cœnobium incolēs, instante Carolo rege & Latino Cardinali præsentibus ducentis millibus hominum Aquilæ Pontifex creatus: adeò maiore omnium admiratione, quo ob sanctitatem vitæ à tanto fastigio rerum sponte remotior esse videbatur. Idcirco cœlestium omnium contemplator *à Ioachimo vocatur, &* in nomine Domini venisse, at simplicem eductum & de terra tenebrosa, *id est remotiori ab hominū consuetudine, quia Eremita erat,* ascendisse ad Pontificatum, & descendisse, *id est Pōtificatu per abdica-*

abdicationē defunctum esse. Nam vox gemina & vulpina ipsius principatum vorauit. Cùm enim eandem vitæ normam austeritatemq; Cælestinus, in qua tot ante annos fuerat maceratus, seruaret, & à priore vita ob pontificatum nequaquam declinaret, adeoq; benignus & facilis omnibus petentibus esset, contemptum dignitatis & imminutionem Pontificatus, quidam Cardinales, rati inde orituram, & maximè Benedictus Caietanus Cardinalis Anagninus vir in iure Ciuili & Canonico peritissimus, & vafer, qui primum locum apud pontificem tenebat, ex iure vndique ad suam intentionem selectis decretis persuasit optimo Pontifici, velut cui impositum esset salutis animarum totius orbis onus, vt se Pontificatu abdicaret. Itaque Cælestinus respondit, nil aliud se facturum, quàm quod Deus vellet, quodq; Carolus rex qui renunciationi vehementer aduersabatur, & Cardinales è repub. Christiana esse censerent. Tum verò Cardinales, & in primis Caietanus ille abdicationem Pontificis quærentes, vt id quàm primum agat proposito reip. Christianæ discrimine, quod sua simplicitate imminere omnium ceruicibus ostendebant, affirmãtes omnia mala tum accidentia die iudicij sibi imputatum iri. Motus his verbis vir sanctus, & simplex, futurum se in eorum potestate dixit, modò id iure fieri posset. Quare constitutio omnium consensu facta est, licere Pontifici abdicare se magistratu. Quam quidem constitutionem Bonifacius octauus eius successor postea confirmauit quemadmodum lib. 6. decretalium apparet. Tum verò Cælestinus ad priuatam vitam se redigens alterius subrogãdi pontificis Cardinalib. ex instituto potestatē dat, Pontificatus sui mense sexto. Atque ita Benedictus Caietanus plurimorum consensu Pontifex creatus, Cælestinum ad Eremum abeūtem, ex itinere ad se retrahit, eundemq; præfecto arcis Fumonis, quæ in Hernicis est custodiendum tradit. Hac ratione motus (vt ipse dicebat) ne autores

seditionum aliquã calamitatem hoc duce, Ecclesiæ Dei aliquando inferrent, licet reuera hominis sanctitatem admirarentur. Vtcunque est, constat hominem ipsum magnæ ingratitudinis & calliditatis fuisse: quippe qui ambitionis causa & virum sanctũ deceperit, dum eum magistratu se abdicare compulit, & captum vitam Eremiticam appetẽtem in arce Fumonis dolore animi ante tempus mori coegerit, anno vno, mense quinto post initum Põtificatum. Sunt qui scribant Cælestinum post mortem adeò miraculis claruisse, vt plerunq; in Concilijs de eo in sanctos referendo habita mentio sit: fuisseque plerosque, qui eum pro sancto colerent, & in catalogo Confessorum recenserent. Eius autem celebritas XIIII. Calend. Iulij, qua die moritur, quoque obseruatur, ex institutione Clementis quinti Auenioni facta. Ita iam patet quibus dolis optimus Pontifex circumuentus fuerit, & vulpina voce *principatum amiserit, & quomodo* peregrè tribulatus mortuus sit, *& quanto dolore hanc optimi Pontificis abdicationem multi tulerint, atque* sponsus legitimus leoni traditus deuorandus fuerit. Hic simplex sponsus sponsam dimisit truculenti canis *id est Caietani* latratibus tribuendã. Cogitauit nomẽ suum, *quod sit cœlestium contemplator, &* fecit opera prima, *Anachoritæ scilicet: quocirca receptus in* partibus Orientis, *hoc est catalogo Sanctorum adscriptus. En quàm optimè historia vaticinio Ioachimi conueniat, & pseudomagi impostura splendidissima appareat, nemo non videt. Imaginis ergo huius papa* flexis genibus *coram extensa* manu *super* arborem de cœlo stellato *denotat hunc sanctum Pontificem manu Dei benedictum.* Vulpes *à tergo pendens ad cucullum, Caietanum Cardinalem: vexillum retro se positum & erectum abdicationem Pontificatus, & traditionem vulpi. Hîc velim in memoriam reuocari, quod primo vaticinio de*

nio de linea Papæ dictum est. Nemo enim non intelligit hunc Papam omnium votis sanctissimum fuisse, & somnia Pseudomagi seditiosissima & mendacissima omnibus iam palam innotescere.

VATICINIVM VI.



IOACHIM ABBAS.

Fraudulenter intrasti, potenter regnasti, gemēs morieris. Ecce homo de Scariotis progenie, occultū principatum

cipatum habens, quo agnus ruit, Neronicè regnãs, moriens desolatus. Abbreuiabuntur enim dies illi, quibus totum mundum, tyrannus terribilis, conturbat, gallum ferit, aquilam deplumat. Gallus & aquila, eius superfluam auferent potestatem. Columba ramum portans oliuæ, & in petræ foraminibus nidificans. cuius securitas est in angulo testamenti, quid tantum affectas Babylonicum principatum, quem obtinere non poteris? contra iustum assurget, & ipsum vinculis alligabit.

PAVLVS SCALIGER.

Pseudomagus huius vaticinij figuram quarto loco tribuit, cũ tamen autor earum, sexto illam ponat. Et quidem rectè. Sextus enim hic est Põtifex ab Vrsino, prima imagine denotato, cui hoc vaticinium conuenit, videlicet Bonifacius octauus, natione Hernicus, patria Anagninus. Benedictus Caietanus antea vocatus, qui verè ex progenie Iudæ Iscariotis *fuit. Nam cùm esset Sancti Martini in montib. presbyter Cardinalis, adeò Pontificatus dignitatem exoptauit, vt nil ambitione & fraude prætermiserit quod ad eam consequẽdam pertinere arbitraretur. Circumuenit enim Cælestinum quintum & persuasit illi abdicationem Pontificatus: sed etiam aiunt hunc Bonifacium subornatores quosdam clanculum immisisse qui noctu demissa quasi cœlitus voce in cubiculum Cælestini hominis simplicis ei persuaderent vt pontificatũ dimitteret, si saluus fieri vellet: quem tandem proditoriè captũ, vt ex superiore vaticinio patet, miserè detinuit: idcirco retro Põtificem, mœsti monachi* sedentis icone, *repræsentatur: vnde fit vt Ioachimus dixerit hunc Bonifacium occultum* principatum habiturum, quo agnus, *id est Cælestinus quintus ruit.* Neronicè

nicè regnauit, *quia imperatoribus, regibus, principibus, nationibus, populis terrorem potius quàm religionē inycere conabatur: quique dare regna & auferre, pellere homines ac reducere pro arbitrio animi contendebat: aurum vndique conquisitum, plus quàm dici potest sitiens.* Moriens desolatus fuit. *Sarra namq; Columnensis, à Bonifacio diu multumque vexatus, Pontificem Anagniæ in domo paterna cepit, captumque Rhomam perduxit vbi quinto & trigesimo die pòst dolore animi confectus peryt. Propterea prædixit Ioachimus,* Fraudulenter intrasti, potenter regnasti, gemens morieris. *Atque ita decurtati sunt dies illi, quibus* totum mundum tyrannus terribilis conturbauit. *Tantæ etenim arrogantiæ Bonifacius iste fuit, vt omnes ferè cōtemneret: & gratias à Nicolao quarto, & Cælestino quinto reuocauerit. Gibellinos quoque vno odio omnes mirificè persecutus est. Cardinales quosdam, (qui scripserant ad reges, ad principes, ad nationes, de arrogantia Bonifacy, & de ambitione, quòd contra ius fasque Pontificatus sedem occupasset, reiecto fraudibus Cœlestino, eodemque in carcerem coniecto) vnâ cum tota Columnensium familia, publico decreto schismaticos pronunciauit, beneficys, dignitatibus, fundis paternis, castellis, oppidis, priuauit: quam priuationem Bonifacius postea in decreti formam retulit, vt libro apparet, quem sextum appellant. Sumptis deinde armis Bonifacius, concitatisque multis cruce signatis, eos opprimere conatus, Præneste quo, se cum Sarra viro insigni, eorum patruo, cuius paulò antè fecimus mentionē, receperant, obsidione cingit. Dilapsos inde capto ac direpto Præneste Zagarolum & Columnam confugientes persequitur: vnde non ita multò pòst abire ob multitudinem hostium necesse fuit, à quibus hæc item castella diripiuntur, maximè verò Columnæ paternum solum. Prochetum Archiepiscopum Genuensem, quoque ob nomen factionis*

Gibellinæ Archiepiscopatu priuauerat. Vrbem Eugubium, quæ Gibellinorum auspicijs ab Ecclesia defecerat, breui recuperauit. Alberto duci Austriæ Imperij confirmationem bis, terq; petenti negauit. Tantum preterea, mortuo Iacobo Aragonio, cùm Robertus Caroli filius, Calabriæ dux, in Siciliam traiecisset, Cathinamque cepisset, repente bellum exortum erat, vt tota ferè Italia tumultuaret; Pontifice nullibi ad pacem conficiendam autoritatem suam interponente. Tantus quoque subitò terræmotus exortus, quantus nũquam antea: quo quidem multis diebus per internalla plurima durante, ædificia paßim corruere. Apparuit tum quoq; cometes magnæ alicuius futuræ calamitatis indiciũ. Philippũ regẽ Francorũ ob contumaciã & violatũ ius gentiũ anathemate percußit, omnesq; Francos iuramento regio absoluit, & habito generali Cõcilio, Philippũ eiusq; regnũ, Alberto Imperatori subiecit: quem initio Pontificatus sui repulerat. Idcirco dicit Ioachim: Gallũ ferit. Aquilã deplumat. Gallus & Aquila eius superfluã auferent potestatem. Id quod factũ est. Philippus enim superbiam Pontificis domiturus, Sarram Columnensem cum Nogaretio Gallo Rhomam mittit. Sarra seruili habitu Latium ingressus, collectis vndique amicis, Nogaretium cum ducentis equitibus Gallis mercede conductis, è militia Caroli Valesij, patrimonij sancti Petri præfecti, Ferẽtinum præmittit: qui inde sibi si opus esset auxilium ferret. Ipse verò Anagniam clam noctu ingressus adiuuantibus Gibellinis, quos Bonifacius diu multumq; vexauerat, Pontificem nil tale metuentem, in domo paterna capit, refractis valuis, captumque Rhomam perducit, vbi quinto & trigesimo die pòst dolore animi confectus perijt, Pontificatus sui anno octauo, mense nono, die decimo septimo. Atque ita decurtati sunt dies illi, quibus Gallum infestabat, Aquilam deplumabat, & potestas illius per Colũnam & Gibellinos ablata.

Itaque alloquitur illum inquiens, Columba ramum portans oliuæ, *id est fructum patrimonij Petri, &* in petrę foramini bus, *hoc est ditionibus & fundis* nidificãs, *cuius securitas est*, in angulo testamenti, *id est Anagnia vbi captus est. Quid tantum affectas* Bábylonicum *id est Rhomanum principatum?* quem obtinere *id est retinere non poteris?* contra iustum *id est Clementem quintum* insurget, *& ipsum vinculis alligabit: captum enim præfecto arcis Fumonis, custodiẽdum tradidit. Iam ergo planè cõstat imago hæc: Pontificem hunc esse* Bonifacium *octauum: retro sedentem* monachum Cęlestinum quintũ captum: Aquilam *occidentalem baculo tridente manu dextra premit, id est excommunicatione, bello & insidijs. Gallus ascendit baculum tridentem, id est Sarra Columna: à quo & capitur. Columnenses autem pro symbolo gallum gerunt. Idem etiam de Carolo Valesio Comite Philippi Francorum regis fratre, qui filiam Balduini vltimi Constãtinopolitani Imperatoris in vxorem duxerat intelligi potest, (Hic autem Balduinus è Comitibus Flandriæ erat) si Gallum pro Frãcis accipias. Huic enim concesserat, vt socero suo liceret imperium ipsum repetere, à quo depulsus fuerat. Errat igitur toto cœlo Pseudomagus, qui hîc Gallos & anseres introducit, atque illis signis presbyteros minores, communioresque sacrificulos, & vniuersum statum Ecclesiasticum, eorumque fastum, superbiam, abusum, & seductionem, & id genus alia, notari nugatur, cui res gesta, & autoris vaticinia, & imago ipsa, & magica traditio ex diametro repugnant.*

VATICINIVM VII.



IOACHIM ABBAS.

Viri ſonis Inuidiæ orbabuntur.

Hæc eſt auis nigerrima coruini generis: niger, Neronis opera diſsipans ſubitò morietur in terra Perouſa. Cùm videbit fructum pulcherrimum ad veſcendum ſuauem, tunc nutriet in gremio, qui ſibi mortis initium miniſtrabit.

PAV-

PAVLVS SCALIGER.

Pseudomagus hanc imaginem quinto loco ponit, cùm tamen, autore ita indicante, septimum sibi vendicet. septimus enim ab Vrsino Pontifex fuit Benedictus vndecimus, natione Italus, patria Taruisinus, Nicolaus antea vocatus, Cardinalis Hostiensis. Hunc appellat auem nigerrimam coruini generis, *quia erat ordinis Dominicani.* Hic Neronis opera dissipauit, *id est cognita regis Philippi caussa, hominem Bonifacij censuris irretitum absoluit: in gratiam præterea recepit Ioannem & Iacobum Cardinales Columnenses, quos ingenti odio Bonifacius factionis Guelphæ studiosus, plus quàm Pontificem decebat, persecutus fuerat. Subitò mortuus est,* in terra Perousa: *mortuus enim est Perusij sui Pont. mense octauo, die decimo septimo.* Viderat iam fructum pulcherrimum, ad vescẽdum suauem. *Pacata enim Italia, Tartariam, Syriam, & Palestinam Christianos ingressos iuuare decreuerat.* Nutriuit in gremio, qui sibi mortis initium ministrauit: *id fuit Perusium, eo enim profectus cum Curia fuerat, & eam ciuitatem vnicè amplexus est, in qua mortis initia accepit.* Viri sonis ĩuidię orbabũtur: *Italia enim seditionibus vehementer laborabat. Itaq; Benedictus retro* coruum *habens volantem, Italia est, dissidijs & seditionibus laborans.* Arbor *suauis ad pascendum est pacata Italia:* fructus pulcherrimus *est iuuare Christianos Tartariã, Syrã & Palestinam ingressos.* Draco *quem in gremio nutriuit Perusium est. Hæc clam*, quod capite ex cauda eminente significatur, *cõnatus illius morte anteuertit. Fuisse autem hunc Benedictum virum optimum ac sanctissimum declarant miracula à se post mortem edita, sanatis ægrotis, pulsisque dæmonibus è cordibus*

obsessorum. qui ex hac vita migrauit Pont. sui mense 8. die 17. Quapropter Pseudomagus egregiè fallitur, cùm draconem Cacodæmonem Papæ interpretatur, ipsumque Papam diabolum, & nescio quamnam calamitatem regni Ecclesiastici, & hæresim vermem arboreum, extra omne propositum confingit. Cæterùm veritas satis ex rei historia, & autoris vaticinio impleta in Benedicto vndecimo elucescit.

VATICINIVM VIII.



IOACHIM ABBAS.

Mobilis & immobilis fiet, & maria plura vastabit. Vide hîc Babylonicę spōsum fugiētem: spōsam suā sibi abominabilē quasi viduatā relinquēs, nomē Iesu disso-nū: crudelis, immundus, iniustus, virtute carens, appe-tēs vanitatem immoderatè, relaxās claues, cursor, gla-diator, congregans & corrumpens. Lucidissima stel-la perdet fulgorem, contra solem tenebrosum finali-ter pugnatura. Lunam persequitur: in altum corruet, excelsa obscurabit.

PAVLVS SCALIGER.

Pseudomagus huius vaticinij imaginem ponit loco sexto, cùm illam autor octauo statuat. Octauus enim ab Vrsino Pontifex mobilis factus est nimirum Clemens quintus, natione Vasco, Burdegalensis Episcopus, Bertrandus Gottho antea vocatus, Perusij à collegio Cardinalium absens post longam contentionem Pontifex creatus. Hic Lugdunum Cardinales conuocauit, Curiamque Rhomanam in Gallias transtulit, & idcirco à Ioachimo mobilis nuncupatur, & immobilis tandem, *quia hæc translatio Curiæ, annis septuaginta quatuor in Gallijs mansit firma, quæ multas Dei Ecclesiæ præuaricationes, multa inuexit Christiano populo detrimenta. Itaque ait Ioachim,* Vide hîc Babylonicæ sponsum fugientem, *id est Rhomanum Pontificem, Rhoma discedētem, Rhomam quasi abominabilem & viduam relinquēs. Rhomæ enim templa magna ex parte ob solitudinem & situm corruere, absentibus his, ad quos quidem ea restituere pertinebat.*

Et quo-

Et quoque nomen Iesu prophanauit. *quia* crudelis, immūdus, iniustus, vitijs deditus, vanus, claues extra suos limites extendens, *cursorem & gladiatorem egit, congregando & corrumpendo omnia. In coronatione illius Dux Britanniæ Dominus maris, ruina muri oppreßus mortuus est cum plerisque alijs, dum pompa coronationis, vt fit, per vrbem ducebatur. Huius impulsu Veneti cum Carolo secundo contra Imperatorem Constantinopolitanum fœdus iniuerunt, vt* Lunam persequerentur, *& expeditionem aduersus Sarracenos maturarēt. Henricus Imperator Italiam ingreßus est, vnde varia & grauißima incommoda Italis illata sunt: cædebantur ciues, necabantur senes, allidebantur infantes, nec vllus crudelitatis modus inerat. Lucidißima stella huius Pōtificis* perdidit fulgorem contra solem tenebrosum finaliter pugnatura. *Albertum enim Imperatorem Ioannes ex fratre nepos interfecit. Ita Rhoma in* altum euecta corruit, & excelsa quæq; obscurata sunt. *Quocirca Pontifex* equitans & accipitrem *manu sinistra gerens, & relinquens Ecclcesiam post se, fuit Clemens iste quintus deserens Episcopatum Rhomanum, & peregrinum more accipitris rapiens: qui moritur Pont. sui anno* 8. *mense* 10. *die* 15. *At Pseudomagus egregius impostor: nescio quid suis nugis hìc comminiscitur, de potestate Papæ, quasi idcirco, quòd ab Ecclesia sua discesserit, omni iure se exuerit, quasi non nisi Rhomæ Ecclesia Rhomana sicut & imperium Rhomanum administrari poßit, aut si aliquis mœnia Rhomanæ ciuitatis non incolat, idcirco nec Ecclesiam incolere videatur: egregia scilicet consequentia.*

VATI-

VATICINIVM IX.



IOACHIM ABBAS.

Contra Columbam hæc imago turpiſsima clericorum pugnabit. De infimo genere aſcendet cruenta beſtia prima & nouiſsima: quæ filium minimum & innoxium crudeliter deuorabit. Vnus eſt & pares non inueniet ad innoxium ſanguinem effundendum. Id circo tempore ſuo ſurget Pſeudopropheta & ſeducet mul-

tos:qui per mala ſua agnum mitiſsimum, plagis crudeliſsimis vulnerabit, ponens os ſuum in Chriſtum Dominum. offuſcabit ſtellas cœli. Malitia ſua ſibi opprobrium miniſtrabit, qui erit ſolo nomine gratioſus.

PAVLVS SCALIGER.

Deſcribitur hîc Ioannes vigeſimus tertius, Iacobus Caturcenſis antea vocatus, Epiſcopus Portuenſis, poſt longam viginti triũ Cardinalium altercationem Lugduni Pontifex creatus, indéque Auenionem cum Curia profectus: qui abdicare ſe Epiſcopatu & ſacerdotio compulit Hugonem Caturcenſem Epiſcopum, priuatũ omnibus Pontificalibus inſignibus, annulo, mitra, cappa, pileo, camiſiáque Rhomana. Priuatum autem degradatúmque (vt iſtorũ vocabulo vtar) ac curiæ ſeculari traditum omnibus cruciatibus coactum eſſe vitam cum morte commutare, quòd in Pontificem coniuraſſet. Idcirco cruenta beſtia *à Ioachimo prædicitur, qui filium* minimum & innoxium crudeliter deuorauit: *Caturcenſis enim & ipſe erat. Adeò præterea rebus nouis Pontifex iſte ſtuduit vt & ſimplices Epiſcopatus bifariã diuiſerit, ac diuiſos in vnum redegerit: & Abbatias in Epiſcopatus, & Epiſcopatus in Abbatias viciſsim tranſtulerit. Nouas quoque dignitates, noua Collegia in Eccleſijs conſtituit, ac conſtituta prius, in aliam formam tranſtulit. Inſtituit & nouum ordinem militum in Luſitania qui Saracenis reſiſterẽt, Beticam, noſtris temporibus Granatæ nomen obtinentem, & Aphricam incolentibus, militibuſque omnia bona Templariorum annuente rege Portugalliæ conceſſa ſunt. Damnauit item illos publico edicto, qui affirmarẽt Chriſtum eiuſq́; diſcipulos nihil priuati habuiſſe. Præterea hæreticum eſſe definiuit, ſi quis aſſereret, ipſis diſcipulis, vendendi, donandi, teſtandi, acquirendi ſuopte ingenio ius non competere,*

petere,


petere, quòd ad religionem non euntes, in alterius arbitrium trãseant: vnde fit vt domini mancipia non sibi, sed domino acquirant: vel acquisita prius ex arbitrio & mandato eius pauperibus distribuant. Harum autem institutionum literas Apostolicas ad Gymnasia publica transmisit, ne amplius scholastici ea de re disputare auderent. Damnauit etiam glossulam quãdam fratris Petri ordinis minorum, qui conuentum quendam tertij ordinis, ad imitandam Christi paupertatem animauerat, quorum de numero multi damnati & exusti fuere. Propterea prædixit Ioachim, hũc Pontificem fore imaginem turpissimam *clericorum, & contra* columbam *id est Ecclesiam* pugnaturum, & per mala sua agnum mitissimum, *id est Christum Dominum* crudelissimis vulneribus affecturum. *Subycit deinde hũc Papam offuscaturum* stellas cœli *id est Imperatorem & alios principes excommunicaturum. Ita Vicecomites interdictis notauit, magis in Ludouicum Bauarũ, qui titulos sibi imperij vsurpabat, quàm in Vicecomites inuectus. Tandem videns Pontifex, in Bauaro turbandi omnia principiũ inesse, ei sacra interdicit more solenni, vt fieri consueuit: Guidonẽq; Petramalam post occupatum Tiphernum sacerdotio exautorauit. Nicolaum Estensem Ferrariæ Dominum & Bonacossium Passarinum Mantuæ principem anathemate notauit, Ferrariæque interdixit sacris, donec capta Argenta redderetur. Misit quoque Ioannem Vrsinum in Italiam properè, qui Florentinos & Guelphos omnes in Bauarum confirmaret, iam alpes cum magnis excercitibus transeũtem. Itaque Bauarus peruenit Rhomam ibique coronatus Imperator Petrum Corbariensem ordinis minorum ex Reatino agro oriundum, Pontificem statim creat, Ioannis vigesimi tertij æmulum futurum, hominem quidem humili loco natum sed doctum & ad res gerendas aptissimum Habuit hic primò vxorem, qua renuente, & re-*

 clamante

clamante religionem, & habitum S. Francisci suscepit. Creatus itaque Pseudopontifex, *ac Nicolaus quintus appellatus, ab Imperatore, & his qui tum cũ eo aderãt, vt verus Christi vicarius consalutatur. Creauit is quoque, more aliorum Pontificum Cardinales & Episcopos homines sui ipsius consimiles. Hunc antipapam tandem Bonifacius Pisanus Comes, rem gratam Ioanni Pontifici facturus Auenionem perduxit: vbi in carcerem coniectus, vitam cum morte permutauit. Hinc est vt Ioachim prædixerit tempore huius Pontificis* surrecturum Pseudoprophetam, *id est antipapã, cuius opera plurimi hæretici & schismatici exorti multos seduxerũt. Itaq; Ioanni XXIII.* malitia propria opprobrium ministrauit. *Is enim inita cum Ioãne rege Boemiæ amicitia principes Italiæ opprimere studuit. Quibus Robertus rex Siciliæ & Florentini repẽte aduersabantur, nullo Guelphorum, aut Gibellinorum discrimine habito. Deinde Mastinus Princeps de La-Scala, Marchio Veronæ, Philippus Gonzaga Mantuæ, Carrarienses Patauij, & Estenses Ferrariæ Domini amicitiam & societatem cum Roberto ineunt: Mastinus Scaliger Brixiam ac Bergomum in deditionem accipit, & alij alia aggreßi occupant, depopulanturq́, atque paßim cæso tum in vrbibus, tum in agris Ecclesiastico præsidio, & regem & Legatum Pontificis omni ope destitutos terga dare compellunt, vt hic Auenionem, ille in Germaniam cum summa ignominia & opprobrio redire coactus sit. Hic Pontifex tandem eodem tempore moritur. Pontific. sui anno 19. mense 4. relicta in thesauris tanta vi auri, quantã nullus ante se Pontifex: quo solo nomine gratus & gratiosus fuit. Iam clarè imaginis expositio apparet.* Gladius *ex ore Pontificis tyrannidem significat, quam in agnum Christi exercuit:* Virga siue flagellum *in dextra manu seditiones, & persecutiones:* Claues in sinistra *quibus Colũba insidet, excommunicationes*

& sa-

& ſacrorum interdictiones: monſtrum, cuius ſuperior pars hominis, papali corona coronati, inferior verò cauda Draconis eſt, ſupplicans Pontifici, ad ſiniſtram ſub clauibus poſitum, deſignat antipapam illum captum, & propter caudam humi ſerpentem, ex humili loco natum. Ergo & hîc Pſeudomagus ſplendidiſſimi mendacij & imposturæ conuincitur, hanc imaginem pro ſua libidine detorquens, quaſi vermis ille aſtans Papæ, ſignificaret vſus immutationem in Sacramento Cœnæ: de quo tamen ne gry quidem hîc tractatum eſt. Deinde non ad omnes, vt Pſeudomagus, ſed ad hunc ſolum Ioannem vigeſimum tertium hæc imago ſpectat: ſicut & vaticinium autoris, & hiſtoriæ veritas teſtatur.



VATICINIVM X.



IOACHIM ABBAS.

Sex lucidabit Planetas:& vnus finaliter ipsius fulgorem excedet.

De sub vrbanis montuosis, & validis de terra candida vir ascendet, actus faciens singulares. Stellas parte lucidabit, & obscurabit, sed excelsa non auferet, quæ prædicta bestia offuscauit, sed remanebit agnus grauiter vulne-

vulneratus. Pauca ſparget, & multa congregabit, egenus morietur, & propria ſepultura carebit. Coruum perſequetur. Columba regnabit, totus ſuus, totus alienus, ſponſas multas viduatas relinquens.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc Vaticinium Benedicto duodecimo conuenit, patria Toloſano, ordinis Ciſtercienſis, Iacobo antea vocato, ſanctæ Priſcæ Presbytero Cardinali. Toloſana terra enim eſt candida, montuoſa, *&* valida, *vna ſcilicet ex ciuitatibus, quæ hodie iura regia reddit. Hic Pontifex* ſex Planetas illuſtrauit, *id eſt, ſex Cardinales creauit, viros egregios, et inſtar Planetarum lucentes, non de ſua ſtirpe, ſed vndequaque ad tantam dignitatem vocatos. Sex prætereà principes ſua autoritate decorauit, videlicet Stephanum Columnam, Ioannem Archiepiſcopum Mediolanenſem, & Luchinum fratres Vicecomites, Maſtinum Scaligerum, Philippũ Gonzagam, Albertum Carrarienſem, Obicionẽ Eſtenſem.* Columna inter hos præcipuè luxit. *Reliquas ſtellas id eſt principes Paſſarinos, Fagiolanos, Rubeos &c. obſcurauit & maximè in Bauarum cenſuras à Ioanne factas, vt in vſurpatorem imperij confirmauit. At* excelſa nõ abſtulit, quæ prędicta beſtia offuſcauit, ſed remanſit agnus grauiter vulneratus *.i. non recuperauit patrimoniũ Chriſti, quod in eodẽ ſtatu, quo à Ioanne relictũ, accepit & reliquit.* Pauca *in pontificatu egit, ædes ſaltẽ pontificias cũ turribus et pometis inchoauit et perfecit: ſuoq; iuſſu impenſaq; baſilicæ S. Petri tectũ reſtituit: quemadmodũ in baſilica eadem poſitum Epigramma ad eius ſtatuã indicat.* Multa congregauit egenus mortuus eſt: *quia multã vim auri nõ cognatis ſuis et affinib. ſed Eccleſiæ reliquit.*

Pro-

Propria ſepultura caruit, *quia in Baſilica Petri ſepultus nō eſt.* Coruum perſecutus eſt, *quia tantæ fuit conſtantiæ, vt dimoueri à recto vel vi, vel precario, vel pollicitationibus nunquam potuerit. Bonos enim diligebat: & viciſsim malos, ac ſceleratos apertè odio habebat. Ideo* columba regnauit, *cui ſex illi principes paulò antè nominati morem geſſerunt.* Totus ſuus fuit, *quo ad egeſtatem,* totus alienus, *quod ad liberalitatem.* Multas ſponſas viduatas, *id eſt Eccleſias haudquaquam inſtauratas, reliquit. Moritur Pont. ſui anno 7. menſe 3. die 17. Iam patet hæc imago, Pontifex manu dextra* trigonum ſex ſtellarum benedicit, *id eſt numero ſex Cardinales creat,* Aquilam *ſub trigono ſtellarum, id eſt in Imperatorem cenſuras à Ioanne latas confirmat. Ex Papali, corona à latere* regia dependens, *denotat Pontificem in Italiam mittere legatum à latere, & Senatui populoq́; Rhomano perſuadere, vt Senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine geſſerant, ſuis tandem & Eccleſiæ auſpicijs adminiſtrarent. Hanc ob rem & Stephano Columnæ Senatoria dignitas in quinquennium prorogata eſt, & Collegæ annui ei dati ſunt. Pudeat ergo Pſeudomagum, qui inde mentiri non dubitauit, Papam ſtellis poteſtatem ſibi in cœlos arrogare. Stellas deinde quinque in nubibus collocat, cùm in triangulo ſex contineantur, Papali benedictione conſecratæ. Taceo quòd pro regio diademate imperiale depinxerit, & ſimilia vaniſsima homo vanus quaſi futura quædam præſagia in opprobrium omnium Pontificum, cùm non niſi huic Pontifici hæc figura, quemadmodum ſingulæ ſuccedentibus ſingulis tantùm conueniant, falſiſsimè confingit.*

VATI-

VATICINIVM XI.



IOACHIM ABBAS.

Stolam ſuam in ſanguine agni dealbabit.

Alta aſcendet duplici benedictione præuentus, amator crucifixi, cultor pacis, altus ingenio: veruntamen quę cogitat nō implebit. alta corruet, infima ſublimabit, ornabit cœlum (nemore ſuccidetur extendens

dens manus ad pauperem) viduas dispensabit, & tunc caue sphæra volubilis, & nigra, vt impediaris à vento Aquilonis tribulatione: Cum lilio & cruce te defende.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinio describitur Clemens sextus, patria Lemonicensis, Petrus antea vocatus, primò Monachus, deinde Archiepiscopus Rhotomagensis, postremò Pontifex Auenione creatus est. Fuit enim multæ doctrinæ vir, compositæq́ eloquentiæ quod Ioachimus duplicem benedictionem vocat, *liberalis in omnes, comis & perhumanus. Cæterùm quæ cogitauit non impleuit. Cùm enim intelligeret totam Italiam in tumultu esse, solos Luchinum & Ioannem Vicecomites vicarios Insubriæ confirmauit: de reliquis Italiæ principibus nulla mentione habita: Existimabat enim solos vicecomites Bauaro resistere posse, in Italiam (vt ipse prædicabat) descensuro, qui vicissim, vt par pari Pontifici redderet, in ditione Ecclesiastica multos vicarios imperiali autoritate confirmauit.* Alta corruit, & euertit atq; infima sublimauit, *quia Rhomæ creandorũ senatorũ ex autoritate Apostolica commutata ratione, Nicolaum Rentij, ciuem Rhomanũ, publicum scribam, virũ quidem erecti ad libertatẽ, excelsiq́ animi, qui occupato armis Capitolio, tantum sibi beneuolentiæ, et autoritatis apud omnes comparauerat, vt facilè quò vellet, mentẽ populi Rhomani flecteret, & quædam etiam externæ prouinciæ putarent, per illum Rhomani imperij gloriã renasci, à Carolo Bohemiæ rege captum, sibiq́ Auenionem missum, et dono datum in vincula coniecit, & Cardinales quosdam Rhomã misit, qui statum vrbis componerent, & Francisco Petrarcha suasore, promiscuè senatores ad tollendam seditionẽ ex plebe ipsa, crearent,*

cùm

cùm non satis constaret in ipsa urbe Rhoma, qui senatorij quiq́ plebei ordinis essent, & ignotis parentibus orti. Itaq; declarati sunt senatores Petrus Sarra columnensis & Ioannes Ursi filius. Ornauit cœlum, *id est Carolum Ioannis Bohemi filiũ, ob multarum linguarum literarumq́ peritiam, in Bauari etiam contumeliam, ab Electoribus in Cæsarẽ designari fecit. Ludouicus Bauarus tandem de equo cadens in nemore, prope Furstenfeldt, in sinu cuiusdam rustici obijt: ideo inquit Ioachim,* nemore succidetur extendens manus ad pauperem. Viduam dispensauit. *Quia Iohannam filiam Andreæ, nepotis Roberti regis Neapolitani, qui sine stirpe virili moriens, hanc ipsam hæredem instituerat, et Caroli regis Hungariæ filio uxorem dederat, quem illa tanquam hominem socordem perosa, per insidias interemerat, alteriq́ fratrueli nupserat Ludouico olim Tarentini principis filio, quem Roberti quoq; fuisse fratrem constabat, dispensando absoluit, eundemq́ Ludouicum Tarentinum, regem Neapolitanũ decreuit. Atq; ideo* sphæra volubilis, & nigra, *ipsa scilicet Italia cincta fuit* tribulatione. *Ludouicus enim rex Hungariæ, primi mariti frater tantum scelus ulturus, cum paratißimo exercitu in Italiam venit. Vocatur & Carolus Imperator in Italiã à Pisanis ob tyrannidem Vicecomitũ, qui etiam Bononiam, Anglare, Burgũ sancti sepulchri, & id genus alia Ecclesiæ oppida Pontifici ademerant, quare Pontifex cõmotus misso in Italiam Legato, Florentinos & Mastinũ Scaligerũ in Vicecomitem concitauit. Veritus tandem Imperatorem Pontifex, ne Italiam ferro ac flamma vastaret, quemadmodũ se facturũ, Imperator minabatur, ad pacẽ componendam animũ induxit. pacẽ quoq; & fœdus componere inter Philippũ regem Franciæ, cuius auxilijs aduersarijs resisteret, & Eduardũ Angliæ annixus est. Atq; hoc est quod dicit Ioachim,* cũ lilio & cruce te defende.

 Itaq;

Itaque stolam suam in sanguine agni dealbauit: *id est Caroli regis Hungariæ filij, à Iohanna interempti. Cumq; foris prodesse Christianis non posset, domi Ecclesiastico senatui consuluit, & boni tandem pastoris officio functus est. moritur anno 1352. Pont. sui anno 10. mense 7. die 28. Proinde hæc figura habet* crucem & lilium *quo se defendere nitebatur.* Caput agni *ad pedem Pontificis, interremptum Caroli regis Hungariæ filium, in cuius nece cum Iohanna dispensauit, deuastationem Christianitatis, designat, quum Christianis prodesse non potuit:* Gallus ad pedem coronatus, *Senatorem Columnẽsem (symbolum enim Columnensium Gallus est) regia potestate fulgentem, quem Rhomanis suo nomine præfecit.* Serpens est vicecomes *(insigne est serpens Vicecomitum) sinistram Pontificis claues tenentem* mordens, *id est bona Ecclesiæ inuadens. Insanit ergo Pseudomagus, qui nescio quid de cohortatione ad pœnitentiam Pontificum hanc imaginem agere nugatur, errans etiam in ipsa imagine, nam pro cingulo Monachali, saccum refertum diuitijs, contra mentem autoris, et pro cruce cum lilio fractum baculum crucis depinxit, vt vel hac ratione satis constet hunc nullam veræ magiæ notitiam habuisse, sed omnia mera libidine conspurcasse.*

VATI.

VATICINIVM XII.



IOACHIM ABBAS.

Lupus habitabit cum agno, pariterq́; cibabit.

Ad honores aſcendet duplex homo iſte, veniens de centro nubiloſo, concordans diſcordantes, lunam reuoluens, nouaculam in manu geſtans ad ſuperflua reſecanda: carnes comedet aſſas, & vinum bibet myrrha-

tum, pauper ingrediens, alta conſiderans, in infimis condeſcendens.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinio ſignificatur Innocentius ſextus, patria Lemonicenſis, Stephanus antea vocatus, pontificij ciuilisque iuris conſultiſsimus: Idcirco appellat illum Ioachim hominem duplicem, venientem de centro nubiloſo, *id eſt munere & officio procuratorio ad Epiſcopatũ Claremontanum, deinde Cardinalatũ, tandem Pontificatum:* concordantẽ, diſcordantes, *nam tumultuantem ciuitatem Rhomanam in creandis ſenatoribus, Innocentius optimè ſedauit, externo ſenatore ad vrbẽ miſſo, Raymundo Ptolemæo ciue Senenſi, qui annum integrũ magiſtratum geſsit. Hic Innocentius* Lunam reuoluit. *Vir enim erat integerrimæ vitæ, magnæq́ conſtantiæ & ſeueritatis, qui beneficia Eccleſiaſtica non niſi probatiſsimis ſacerdotibus, tum vita, tum doctrina dedit.* Nouaculã in manu geſtans ſuperflua reſecuit, *quia multas reſeruationes à Clemente factas ſuſpendit, conſtituitq́ ſtatim, vt omnes Prælati, omnesq́ qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas ſub anathematis pœna proficiſcerẽtur. Dicebat enim oues paſcuas, à proprio paſtore, nõ à mercenario cuſtodiri debere. Impenſam quoq; domeſticã, quæ magna erat imminuit, familiam ſuam ad certum & honeſtũ redigens numerum, nec domi voluit niſi viros probatiſsimos. Idem vt facerent Cardinales acerrimo edicto mandauit, dictitans ſuam, ac omniũ Eccleſiaſticorũ vitam, cæteris exemplo eſſe debere, ad imitationem ſaluatoris noſtri, cuius tota vita, ad inſtitutionem humani generis reſpiciebat. Præterea verò ſacri palatij auditoribus ſalaria inſtituit, ne muneribus corrumpi in decernẽdis litibus ob inopiam*

piam possent. Dicebat enim, famelicos non facilè, etiam ab alieno cibo abstinere, si sit oblata quouis modo edendi facultas. In victu parcus est habitus, ideo carnes comedit assas, & vinũ bibit myrrhatũ, *id est dilutum, quo ille instar lachrymæ ex myrrhæ cortice inciso defluentis, quo mortuorũ cadauera incorrupta conseruantur animo incorrupto existeret. Atq; ita* pauper ingrediens, alta considerauit, & Lupus habitans cum agno, simul nutritus est. *Sicut enim ad virtutes cohortator exemplo suo fuit, & in victu parcus est habitus, ita in sumptu bellico largißimus dũ bello repetijt, quæ superioribus temporibus Ecclesiæ erepta fuerant. Aegidiũ namq; Hispanũ è gente Carilla Cardinalem Sabinum virũ insignem è latere suo in Italiam misit, qui bello hostes Ecclesiæ persequeretur, ditionemq́; Ecclesiasticã tutiorem redderet, eo maximè tempore, quo Imperator Constantinopolitanus, Aragonum rex, & Veneti contra Genuenses inter se fœdera iniere. Nec Rhomæ certè minor perturbatio, quàm Constantinopoli tum fuit. Franciscus enim Barõcellus Rhomanus ciuis admodũ potens, pulsis è Senatoria dignitate, Ioanne Vrsino, & Petro Columnensi, tribunitiam dignitatem sibi vsurpat cum his titulis, Franciscus Baroncellus scriba senatus, Dei gratia almæ vrbis Tribunus secundus, ac Rhomanus Consul. Tum verò Innocentius Pontifex re cognita ad comprimendam hominis audaciam, Nicolaum Rentij, qui eodem modo dominatum appetierat, è carcere Auenionensi ductum, Rhomam mittit ad Tribunatum repetendum. Is itaque vrbem ingressus adiuuante nobilitate, ac magna plebis parte, Baroncellum è Capitolio deiectum interficit, ac solus tribunatu potitur. Abeunte tandem Carolo Imperatore in Germaniam, Aegidius Legatus omnia ferè oppida breui recepit, quæ aduersarij, instigante Ludouico Bauaro in Flamminia, quam Rhomandiolam vocamus, in*

Marchia Anconitana in patrimonio S. Petri occupauerāt. Cùm autem AEgidius Italiā pacasset, arcesq́ in ditione Ecclesiastica plures ac per necessarias ædificasset, omnesq́ Italos principes ac populum ad officium redegisset, ad annum quintum legationis suæ successorem habuit, Arduinum Burgundum Abbatem Cisterciensem, hominem rebus agendis nequaquam idoneū. Hanc ob rem abeunte AEgidio, omnes Italiæ principes ac populi arma capiunt. Abbas Cluniacensis Bononiam Bernaboui Vicecomiti proditione Aulegiani accipit, et tam Bononiam quàm Rhegium aduersus Bernabouem bello prementem acriter defendit, & accitis in societatem belli Cane Scaligero, Philippino Gonzaga, Nicolao Estensi, in Brixianos mouit. Tum Bernabos Brixianorum periculo motus, relicta Bononia ac Rhegio, in hostem proficiscens, apud Montem clarum tanto prælio superatur, vt ægrè deinceps vrbis mœnia tutatus sit. Eodem ferè tempore Florentini Galeatho Malatesta duce Pisanos superant. Verùm composita à Pontifice inter Pisanos & Florentinos pace, Ioannes Haucut Pisanorū stipendijs militare solitus, milites omnes passim per omnem Italiam sparsos colligens, magnum omnibus terrorem iniecit, tumultuante potissimum ciuitate Rhomana in creandis senatoribus, quam discordiam Innocentius optimè sedauit, vt suprà dictum est. Non quieuere autem compositis etiam hoc modo rebus Rhomani. Nam pulso Senatore, septem ciues crearunt cum summa potestate, quos reformatores totius Reipublicæ vocarunt. Hanc ob rem Innocentius Hugonem Lusignaneū, Cypri regem, ad bellum, quod in Thurcos gerebatur, proficiscentem, senatorem creauit, mandauitq́ vt magistratum reformatorum omnino aboleret. Erat autem tum maximè intentus abolendo bello, quod inter Anglos, & Gallos gerebatur, quo omnibus proficisci in Thurcum liceret. Verùm cùm Angli in Pitiriensi agro Gal-

gro Gallos superassent, cepissentq́; regem cum Philippo filio, rem difficiliorem factu fecisse videbantur. Cùm Eduardus magnitudine animi motus, captiuos omnes hac conditione liberat, ne amplius contra se bella gerant: qui non ita multò pòst pacis fœdera rumpentes, Eduardum capere arma, & obsidere Parisios impellunt. Parare & classem contra hostes Christiani nominis Innocentius constituerat, cùm & Pisani qui rem nauticam optimè norant, cum Florentinis, & Veneti qui classe plurimum valebant, cum Lodouico Hungariæ rege bella tum gererent. Taruisium enim rex magnis copijs tum obsidebat: nec seditionibus intestinis Veneti carebant. Nam Marinus dux affectatæ tyrannidis conuictus securi percutitur. In tantis verò animi perturbationibus afflictatus Innocentius pontificatus sui anno nono, mense octauo, die sexto moritur. Idcirco inquit Ioachim, Alta considerans, in infimis condescendens. *Itaque depingitur Innocentius sinistra manu* claues tenens, *dextra* nouaculam, *qua Ecclesiam repurgare conabatur. Est etiam indutus* vestibus sacratis, *stans in corona, vt intelligamus illum integerrimæ vitæ, magnæq́; constantiæ &* seueritatis virum. *quocirca &* gladium *ad sinistrum latus habet: sed illum primis pedibus lupo obtinente: id quod ex suprà dictis, maximè ex Aegidij, Nicolai, Arduini, & tot intestinis seditionibus liquidò constat. Valeat ergo Pseudomagus cum suis scorpionistis rusticis, & hæreticis presbyteris, quos omnes homo hæreticissimus per Lupum figurari somniat, & alijs id genus nugis.*

H VATI-

VATICINIVM XIII.



IOACHIM ABBAS.

Iste solus clarè aperiet librum scriptum digito Dei.

Ad alta vocaris ô Princeps mente canus. quid agonizas ? surge, & esto robustus: interfice Neronem, & eris securus: sana vulneratos, accipe flabellum, interfice muscas, eijce de templo vendentes, doctrinā illumina-

natam aſſume, annuncia iuſtum, vita circumciſos: dirige columbam, reprime ſitibundos.


PAVLVS SCALIGER.

Deſcribitur hîc Vrbanus quintus, patria Lemonicenſis, Guilielmus Griſant antea vocatus, S. Victoris Maßilienſis Abbas, abſens etiam omnium conſenſu ad alta vocatur, id eſt Pontifex creatur. Iſte, *inquit Ioachim*, ſolus clarè aperiet librum ſcriptum digito Dei: *erat enim vir ſingularis virtutis, ingentis animi, innocentißimæq́; vitæ. Hunc alloquitur Ioachim inquiens,* O Princeps mente canus quid agonizas? ſurge, & eſto robuſtus. *Statim proinde, vt pontificatum, vocatus Auenionē, inijt, ad tuendam libertatem Eccleſiaſticam animum adiecit, eorumq́; opera vſus eſt, qui ad eam rem animati erant. Itaq; Aegidium Cardinalem Hiſpanū, virum præſtantem, cuius antea meminimus, in Italiā cum ſumma poteſtate miſit, qui ita Canem Scaligerum, Ludouicum Gonzagam, Nicolaū Eſtenſem, Franciſcū Carrariū initis fœderibus in* Bernabouem, *quem Ioachim* Neronem *appellat, concitauit, vt prælio ab his ſuperatus, & ſaucius ægrè aufugerit, amiſſo in bello filio: captisq́; Andrea Pepulo Bononienſi exule, Synebaldo Ordelapho, Paulo Mirandula, Guidone Foliano, Azone Corrigienſi, Guilielmo Caualcaboue egregijs copiarum ſuarum ducibus. Atque hoc illud eſt, quod Ioachim ait,* Interfice Neronem, & eris ſecurus. *Vicecomites enim omnis ſeditionis et cōtentionis in Italia autores erant, quibus repreßis* ſanauit vulneratos. *Etſi enim ꝑmoti calamitate Vicecomitū, Franciæ, Angliæ, ac Cypri reges miſere ad Aegidiū, vt vicecomitib. pacē redderet, neq; diſceſſerint re infecta legati, reddita namq; pax erat: ea tamē diuturna nō fuit. Ioannes enim Haucut vicecomitib. militans, cū Florētinos bello laceſſeret, eorū*

copias apud Miniate oppidum grauiter profligauit. Hanc ob rem Aegidius Legatus Thomam Obicionem egregium copiarum ducem, cum tribus millibus equitum, & satis magno peditatu Florentinis auxilio mittit. Pugnatum est inter Aretium & Cortonam dubio Marte quatuor horis: atque demum Thomas ita hostes superat adnitente peditatu, vt ex sex millibus equitum, qui cum Anglico militabãt, pauci euaserint, atque ipse dux in deditionem venerit. Huius autem tantæ victoriæ fama permoti qui ab Ecclesia defecerãt statim deditionem fecêre. Rectè igitur prædixit Ioachim, hunc Pontificem accepturũ flabellum *& interfecturũ muscas eiecturumq́; de templo vendentes.* Flabellum *est industria Aegidij*, muscæ *sunt copiæ Vicecomitum:* vendentes & repressi sitibundi *in templo sunt, qui ab Ecclesia defecerant. His ita feliciter peractis Vrbanus ad quartum sui Pontificatus annum in Italiam venit componendarum rerum caussa,* doctrinam illuminatam assumens, annuncians iustum, & vita circumcisos, *id est pietate, iustitia & sanctis moribus* Columbam, *id est Ecclesiam instaurauit. Cùm porrò Carolus Imperator intellexisset Vrbanum Rhomam profectum, eò & ipse quoque cum vxore & liberis statim aduolauit. moritur Vrbanus Pontificatus sui anno octauo, mense quarto. Itaque imaginis* dextra *manus* claues *continens auxiliante illi angelo, significat, ope diuina Ecclesiam instauratam esse.* Stellis quinque *cœlitus demißis, ipsaq́;* manu *inde prominẽte, supra* flabellum *vel* flagellum, *significatur industria & confœderatione, Aegidij Cardinalis, Canis Scaligerij, cognomento Signorij siue Facini, Ludouici Gonzagæ ac Nicolai Estensis, & Francisci Carrarij, in aduersarios & rebelles animaduersum eße.* Aquila *denotat Carolũ ad Pontificem in Italiam profectum, Pontificem salutaße. Os enim* Aquila apertum habet, *quasi Pontifici loquatur: apertum*

etiam

etiam est, quia deuorauit Lucam, adimens illam Pisanis, & Miniate oppidum Florentinis, sibiq; vendicans: & accepit à Florentinis ingentem pecuniam, ne eos bello vexaret. Falsò igitur Pseudomagus somniat à pontificibus recessuram clauium potestatem, & pontifices proprijs virgis pœnas luituros, neuè collidantur Pauonem illis, per quem ille Austriacos intelligit, opitulaturum. Licet Austriaci semper Ecclesiæ fuerint deuotissimi: nō tamen Pauonem, sed aquilam imago continet: id quod & historiæ veritas declarat. Hæc omnia ad solum Vrbanum quintum referuntur, iam dudum impleta.



VATICINIVM XIIII.



IOACHIM ABBAS.

Flores rubei, aquam adoriferam diſtillabunt.

Obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, rubigo te conſumet, dulce principium inueniſti, ſed finem tribulatum. Væ primum abijt, & ecce væ ſecundum. Fugiamus à facie eius. Clama in fortitudine, quia iam incipiunt, vltimi cruciatus. Ha ha vbi eſt Lucifer? quo

quo abierunt ſtellæ? curramus & non reſpiciamus retro, quia ab Aquilone pandetur omne malum.

PAVLVS SCALIGER.

Deſcribitur hic ad oculum Gregorius vndecimus, patria Lemonicenſis, Petrus Belfortis antea vocatus Clementis ſexti nepos, ſanctæ Mariæ nouæ Diaconus Cardinalis, Auenione Pontifex omniũ conſenſu creatus, qui fuit tantæ innocentiæ, & placabilitatis, adeoq; humanus & pius, vt ab omnib. vnicè diligeretur. Hic Pontificatu inito ſtatim Legatũ in Italiam miſit, vt res Eccleſiaſticas recenſeret: qui cùm in Italiam veniſſet, & res Eccleſiaſticas recenſeret, inita cum vicecomitibus pace, ſiquidẽ omnia in perturbatione fuère. Erant enim inimici omnes ipſis Venetis, exceptis vicecomitibus: quæ res initium fuit perturbandi omnia. Ideò inquit Ioachim, obſcuratum eſt aurum, *id eſt Vrbani quinti inſtauratio neglecta*: mutatus color optimus, *id eſt ſtatus Italiæ per Vrbanum compoſitus*: dulce quidem principium inuenit, *ſcilicet pacata omnia*, ſed tribulatum finem, *quia in ſeditionibus fato conceſſit*, rubigine conſumptus, *id eſt intolerabili veſicæ dolore mortuus. Rubigo enim eſt vitium metalli, & propriè id, quod in ferro contrahi videmus, aridum & rubrum metallũ paulatim erodens: Ita in renibus vel veſica quoq; generatur ſimile quid ſiue calculus, ſiue arena, meatum vrinæ prohibens, aſperrimumq; gignens cruciatum.* Væ primum abijt, *quod ſub Ludouico Bauaro Imp. excitatum erat:* & ecce væ ſecundũ, *quod auſpicijs Vicecomitum paratũ fuit. Plurimæ enim ciuitates ſe in libertatẽ vindicabant, & primi Tiphernates (quos Caſtellanos vocãt) ab Eccleſia deſciuere: hos deinceps Peruſini, Tudertini, Spoletini, Eugubini, Viterbienſes,*

Foro-

Foroliuienses, Asculani secuti sunt. Idcirco ait Ioachim fugiamus à facie eius: Clama in fortitudine. *Clamauerunt sanè in fortitudine aduersarij Ecclesiæ. Occupauerat tum etiam Astorgius Manfredus, sub Bauaro tyrannidis dulcedine gustata, Granariolum agri Fauentini castellum: ad quem opprimendum è Bononia Legatus Ioannem Haucut, cum aliquot cohortibus mittit. Tutati sunt Astorgium Florentini & Bononienses: qui excluso Haucut cum omni præsidio in libertatem se vindicauerunt. Haucut verò cernens Fauentinos ad rebellionem spectare, & ciuitatem crudeliter diripuit cæsis passim omnibus, quos obuios miles habuit, & solum vrbis viginti millibus nummûm auri, Nicolao & Alberto Estensibus fratribus vendidit, occupato Bagnacauallo: vbi impedimenta exercitus sui ad tempus reposuit. Hinc est quod dicit Ioachim,* Iam incipiunt vltimi cruciatus. Ha ha vbi est Lucifer? *scilicet obedientia Ecclesiastica, quæ instar Luciferi, tot seculis luxit:* quò abierunt stellæ? *videlicet principes potestati Ecclesiasticæ subiecti.* Curramus & non aspiciamus retro, quia ab Aquilone pandetur omne malum. *Pontifex enim cognita rerum permutatione, Cardinalem Gebennensem Legatũ cum sex millibus equitũ Britonum in Italiam mittit, qui per Taurinos descendentes sine vllo maleficio, vsque ad Bononiæ portas peruenere, vrbem obsessuri. Sed Legatus cognito Florentinorum aduentu, qui Rudolpho Varaneo duce Bononiensibus suppetias ferebant, cum copijs suis Cesennam hyematum concessit: in qua vrbe ita tumultuatum est ob superbiam Gallorum, vt sexcenti Britones interfecti sint, reliqui vrbe eiecti. Qui postea per arcem ingressi, aucti numero, ædibus & rapinis omnia compleuere: neque his quidem parcentes quorum ætas suppliciter veniam petit: solæ virgines & iuniores matronæ ad iniuriam reseruatæ sunt. Foroliuienses autem veriti*

ne à

ne à legato inopia consilij & Gubernatoris opprimerentur, Synebaldum, Pynum, Ioannem, Theobaldum, Ordelaphos dominos in vrbem recipiunt, quorum virtute ab impetu Britonum defensi constantissimè sunt. Existimans autem Gregorius Pontifex, hæc omnia mala, quæ in Italia committebantur, sua absentia fieri, naufragiumque tam diuturnum absente gubernatore committi, de profectione sua, ad Italiam vir bonus diu multumque cogitare cæpit: sed hominẽ per maximè mouere cuiusdam Episcopi verba, qui interrogatus à Pontifice, dum simul inambularent, cur non rediret ad Ecclesiam suam, quam haud par erat, tam diu sine pastore nudam relinqui, Cur, inquit, tu summe Pontifex cæteris exemplũ daturus tuum Episcopatum non repetis, Ecclesiamq́; Rhomanã? Motus his verbis Pontifex, paratisq́; in Rhodano 21. triremibus, alio se iturũ simulans, ne à Gallis retineretur, si se profecturum ad vrbem intellexissent: ipsam namq; curiã emolumenti caussa in Gallia volebant. Genuã itaque primò, inde Cornetũ: vnde terrestri itinere nauigationẽ pertæsus hyeme præsertim, Rhomam peruenit anno Domini 1376. Idibus Ianuarijs, Pont. sui 7. migrationis verò Rhomanæ Curiæ in Gallias anno septuagesimo quarto. Quo autem apparatu, quaque incredibili populi Rhomani lætitia susceptus in vrbem sit, honorato quoq; obuiam prodeunte, non attinet dicere, Cùm vultu, gestu, acclamationibus, omnem lætitiæ speciem effuderint, vt filij solent, redeunte peregrè exoptato parente. Indigebant omnia aduentu Põtificis. Nam & mœnia & Basilicæ, & publica, ac priuata ædificia vbique ruinam minabantur, quæ certè magna ex parte restituit, vt turris suo iussu ædificata ad sanctam Mariam maiorem indicat. Labefactati etiã ita ciuitatis mores erant, vt nihil vrbanitatis habere videretur: vtq́; illi mores aliundè petendi essent, quæ totum orbem terrarũ quondam ad vrbanitatem redegerat. Collocata itaque in vrbe

ſede ſua, Pōtifex, vt bonum paſtorem decet, omnia circumſpicere cœpit, de medelaq́ vulneribus inferenda cogitare, vt illud Ioachimi impleretur, Flores rubei ex cruento ſcilicet ſanguine nati, aquam adoriferam diſtillabunt. *Pax igitur qua ſanari nondum obducta vulnera poterant, ſibi diu multumq́ cogitanti oblata eſt. Legatum itaque primò ad Florentinos mittit, qui ad arma ſpectabant, eosq́ adhortatur, vt æquas pacis conditiones non detrectent. Hi verò Pontificis potentiam ſuſpectā habentes, ne ad pacem cogerentur, cum Bernaboue hoſte, paterno, auitoq́ fœdus & amicitiā ineunt. Poſtea verò Ioannem Haucut pecunia, & pollicitationibus corruptum, ab Eccleſia in partes ſuas trahunt, quo ſucceſſu elati, nullum iniuriæ contumeliæq́ genus prætermittunt, quod in Pontificem transferri poſſet: qua ex re anathemate notati, hac inſolentia vſi ſunt, vt etiam ſacerdotes ſuos, quibus à ſacris interdictum erat, celebrare contra ius fasq́ coëgerint. Tum verò Pontifex à precibus ad arma conuerſus, conciliatis prius Bononienſibus, qui ſuo nomine vrbem gubernarent, Varraneum mercede conducit: hac in re Florentinorum artibus vſus: eiq́ exercitū Eccleſiæ committit, paulò pòſt, in Florentinos moturo. Id ne vt deſtinauerat ſtatim faceret, diſcordia inter Genuenſes & Venetos orta effecit. Veritus enim eſt, ne aliqua externa vis Italiam inuaderet, ſi ipſe quoque cum Florentinis decertaret. Nam dum Andronicus Genuenſium auxilio fretus, quibus Tenedon Inſulam mercedem facinoris permiſerat, patrem Caroli Ioannem Conſtantinopolitanum Imperatorem regno deturbaſſet, Veneti eundem in patriam reduxerunt, ac Tenedon Inſulam ab eo accepere. Qua ex re indignati Genuenſes in alıud tempus vindictam diſtulere, veriti Pontificis anathema, qui vtriq; populo interminabatur, niſi ab armis diſcederent, cùm diceret neutri eorum bellum illud competere. Sed dum vir ſan-*

ctus

ctus accuratè agit omnia, quæ ad Pōtificem pertinent, intolerabili vesicæ dolore, vt dictum est, moritur anno Pont. sui 8. *mense* 5. *anno Domini* 1378. *quinto Calend. April. tantoq́ omnium cum gemitu & lachrymis sepelitur, quāto nunquā antea quisq̄ sepultus est. parente enim & vnico genitore priuati omnes videbātur: lugebantq; non modò præsentem, verùm etiam futuram calamitatem, in quam sublato optimo Pontifice ob patrum discordiam incidere. Iam imaginis sensus facilè patet. Papa enim* baculum peregrinationis manu dextra gerens, *significat, illū terrestri itinere Rhomam tanquam peregre exoptatum parentem redijsse.* Miles gladium in Pontificem vibrans & *lāceæ à latere, cladē Cesennatem significāt, qua sexcēti Britones, ex parte Pōtificis inrerfecti sunt. Prohibuit autem manus Dei, sua diuina prouidentia, partim per Pōtificias censuras, partim* per stellas, *id est Principes Pontifici morem gerentes, ne planè copiæ Pontificis funderentur, & potestas illius euerteretur, quin potius ille resumptis viribus in aduersarios atrocißimè intenderetur: significāt quoq; defectionem Haucut ad Florentinos & iniurias atq; contumelias à Florentinis Pontifici illatas, qui etiā anathemate notati, contra ius fasq́; sacerdotes, quibus à sacris interdictum erat, celebrare compulerunt.* Gladius à sinistris *Pontificis, cuius capulus ad* pedes ipsius est, *designat Pontificem à precibus ad arma conuersum, sicut ex prædictis apparet. Valeat proinde & hic Pseudomagus inpostor cum suis ementitis vēturis punitionibus, quæ tamen prophetia ad hunc solum Gregorium Pontificē spectabat, in eoq́; impleta est. Quàm deinde benè Pseudomagus sua magia vtatur, vel imago illius patefacit, quæ duos gladios penes Pontificem depictos continet*, cùm saltem vnus esse debeat, *vnius, non duorum Pontificum.*

VATICINIVM XV.



IOACHIM ABBAS.

Terribilis es, & quis resistet tibi?

Hæc est fera vltima aspectu terribilis, quæ detrahet stellas: tunc fugiant aues, & reptilia tantummodo remanebunt, fera crudelis, vniuersa consumens, infernus te expectat. Terribilis es, & quis tibi resistet?

PAV-

PAVLVS SCALIGER.

Notatur hoc vaticinio Vrbanus sextus, patria Neapolitanus, antea Bartholomæus Barensis Episcopus dictus, homo planè ineptus, rusticus, inexorabilis, callidus, et iniuriarum memor, ac vindex, malebat videri & metui potius, quàm diligi. Hic Pōtificatu accepto, non pacem inter Christianos componere, sed magis Cardinalium, & Ioannæ reginæ iniurias vlcisci pro viribus conatus est: propter quod Florentinos anathemate notatos, vt in suam deduceret sententiam, absoluit. Natura prorsus inquietus erat: quocirca apud Nuceriam Cardinales creans, quosdam ex antiquis in carcerem coniecit, homo infelicissimus. Hic Pontifex fera aspectu terribilis, & vltima *Ioachimo appellatur: in hoc Pontif. enim de statu summorum Pontificum prophetia illius finit. Aspectu autem terribilis, hic Pontifex non iniuria dicitur, cùm nihil boni in Pontificatu suo, sed omnia mala egerit, feraq́ crudelis, vniuersa consumens, omnibus metuenda fuerit. Habuit Antipapam Gebennensem Cardinalem, natione Gallum, cui Clementi septimo indita appellatio fuit, fauentibus Ioanna regina, & octo Cardinalibus: vnde magna discordia in Ecclesia Dei orta, & diuturna, videlicet 39. annorum quam schisma vocant, cū pars Christianorum principum Vrbano, pars Gebennensi faueret. Neque hoc modo contenti seditiosi Cardinales Britones, qui multa Ecclesiæ Castella, multas vrbis villas iam diripuerant, arcesq́ occupauerant, in Pontificem & Rhomanos mittunt. Ad pontem Salarum Rhomanus populus hosti in composito agmine obuiam factus, superatur, & cæditur. Verùm cùm postea apud Marinum pugnam magna animorū concitatione inyssent, adeò Britones cædunt, vt vix nuncius tantæ cladis superfuerit. Qui in arcibus erant, se aliquandiu ac suos tutati sunt, maximè verò*

arcis Surianæ præfectus, qui post multos annos Martino Pontifici deditionem fecit. Interim Genuenses odium quod in Venetos mente conceperant, ostendũt ascito in societatem belli Ludouico Hungariæ rege, Austriæ duce, Patriarcha Aquilegiẽsi, et Francisco Carrario: Cùm à partibus Venetis rex Cypri Perinus Lusignaneus, et Vicecomes Bernabos essent, et vtrinq; dubio Marte acriter pugnatur, mari, terra, omnia depopulãtur, ferro igniq; absumuntur, quo tempore etiam Bombardicus *vsus, à sono et tonitru sic dictus, innotuit: multæ vtrinq; cædes inuicem acceptæ datæq; sunt. Accessit tum Venetis et Calocoannes Græcorum Imperator, & Peram Genuensium, Constantinopoli vicinam oppugnare aggressus est. Videbat enim Genuenses pluribus bellis, & quidẽ grauissimis implicitos. Sed Andronicus eius filius patri ac Veneto æquè hostis, Thurcorũ, Bulgarorumq; præsidijs & societate fretus, eam acerrimè defendit: eoq; terroris patrẽ deduxit, vt in partes Genuensium statim transiret. Vrbanus verò non intentus componendæ paci inter Christianos, vt par erat, sed iniurias à Iohanna regina acceptas vlcisci cupiens, Ludouicũ Vngariæ regem impulit, vt Andreasij fratris mortem se adiuuãte vlcisceretur: qui Carolum filium in Taruisinis contra Venetos dimicantem in Iohannã concitans, res Venetorũ propè afflictas meliusculas fecit. Itaq; Carolus ex Hungaria contra Iohannã accitus cum octo millibus equitum in Italiam venit, Aretiũ primò in potestatem suam redegit, Guelphorũ & Gibellinorum seditionibus diu agitatũ. Florentini veriti ne sustinere tanti regis impetũ non possent, pacem à rege, datis quadraginta millibus nummûm auri redimunt. Carolus salutato Rhomæ Vrbano regnũ ingressus, superatis etiã Iohannæ ducibus Neapolim dedẽtibus ciuibus, capit. Dum hæc ad Neapolim, & Aretiũ agerentur, noua belli nubes Italiã inumbrauit. Nã Ludouicus Andegauensis, à regib. Francorum*

corum originē ducens, Italiam ingressus cū triginta millibus equitum, nō longè à Bononia consederat, à Clemente antipapa impulsus: non tam vt reginā Iohānam obsessam liberaret, quàm vt Vrbanū armis Pontificatu deijceret: Ludouicus per Marsos iter faciēs, ad Caßiensem saltū iam peruenerat. Adhuc enim ad 12. millia equitū expectabat, qui Italiā ingreßi, duce Andegranio, per Placentinū, Lucensem, Florentinū, Senensem agrū iter facientes, Aretiū iam peruenerāt, vrbemq́ à Guelphis introducti, post illatā ab Albrico cladē, diripuere. Interea Ludouicus Andegauensis moritur. Quocirca Andegranius in Gallias redijt, ipsiq́ milites bini ternivé mendicantes etiā in patriam se contulerunt. Tū verò Vrbanus terrore Gallico liberatus, Neapolim se conferens, à rege petit, vt sibi liceat creare nepotem suū Campanum principem: quod cū impetrare nequiuisset, homo sub specie iusti et honesti minus Vrbanus, ac nulli gratus, ad minas cōuersus, eò iracundiæ regē compulit, vt custodijs adhibitis, per aliquod dies prodire in publicū nequiuerit. Verùm dißimulata ad tempus iniuria, Nuceriam ad vitandos æstus (vt ipse dicebat) cum bona regis venia profectus: Communitaq́ firmis præsidijs vrbe, et nouos Cardinales creat, & septem ex veteribus in carcerem conijcit: quod diceret eos cum rege & antipapa contra se coniurasse. Propterea inquit Ioachim, hunc esse feram terribilem quę detrahet stellas. *Præterea verò & processum (vt istorum more loquar) contra regem inchoauit, missa de more citatione: qui breui se venturum Nuceriam respondit, diluiturumq́ obiecta crimina, non verbis modò, verùm etiam armis. Nuceriam itaque cum satis magno exercitu veniens, vrbem obsidet. Motus autem hac indignitate Raymundus Balcianus è gente Vrsina, Comitis Nicolani filius, qui postea Tarentinus princeps est habitus, suis copijs fretus, quas sub rege ductauerat, Vrbanum cum tota Curia, ad proximum*

littus

littus deductum, Genuensium triremibus ad id instructis paratisq́ imposuit. Propterea inquit Ioachim tunc fugiant aues, & reptilia tantummodò remanebunt, *id est quæ Pontificem comitari non poterant. Quibus triremibus dum Genuam Pontifex defertur, ex septem Cardinalibus Nuceriæ captis, quinque saccis inuolutos in mare* demersit & reptilibus, mandauit. *At verò mortuo Ludouico Hungariæ, proceres Hungari Carolum statim per Legatos accersunt: qui eò profectus dum conuentum ad res componendas celebrat, curante regina, quæ odium dissimulauerat, obtruncatur. At Vrbanus circumacto anno, quo se Genuam contulerat, intelligens Ecclesiasticas ciuitates à Florentinis ad libertatem (vt antea) incitari, Lucam primo, mox Senas & Perusium peruenit. Confirmatis deinde aduentu suo ciuitatibus, desiderio (vt ipse dicebat) videndi Neapolim. Ferentinum vsque proficiscitur: ea mente reuera, vt Ladislaum admodum puerum, & Ioannem Caroli filios hæreditate paterna deturbaret. Multi enim proceres Ludouico Andegauensi studere soliti, potiundi regni spem ei præstabant, sed magna vsi fide Caietani, pueris in vita retentis, regnum quoque cum summa laude seruauerunt. Pontifex ergo re infecta Rhomam redijt, & tandem Pontificatu infeliciter defunctus moritur, anno Pont. sui* II. *mense 8. paucis admodum eius mortem, vtpote hominis rustici et inexorabilis, flentibus. Cuius sepulchrum Rhomæ in Basilica beati Petri adhuc visitur cum epitaphio satis rustico et inepto. Ideò Ioachim ait:* Infernus te expectat terribilis es. *Depingitur hic itaque iste Pontifex, tanquàm Draco, veneno suo insidijs & artibus vniuersam Europam, & circumiacentes regiones inficiens: habens caput humanum, auriculas asininas, coronam regiã, ex qua galea prominet, Iudæorum, & gentilium, atque Thurcorum modo retorta, vt intelligamus illum fuisse hominem rusticũ,*

callidum,

callidum, vindictæ cupidum, corde iniquum, & ad omne malum propensum. Caudæ caput alterum inest, id est Antipapa, nouem stellis adornatus, hoc est octo illis Cardinalibus & Iohanna regina, qui partibus suis fauebant. Hic Antipapa magnum ignem ore conflat, dum Vrbanum mouet, vt clam & ex insidijs omnes illas turbas Italiæ procuret. Ludouicum Hungariæ regem enim aduersus Ioannam idcirco prouocauit, cuius tandem nomine Carolus cum exercitu ingressus Neapolim cepit: Ludouicus Gandauensis & ipse ad vastãdam Italiam venerat. Omnes isti huius Pontificis artibus vitam cum morte permutarũt: ideo supra draconem, tres magnę stellæ depictæ cernuntur. Minores quinq; inclusæ, *significant, ex septẽ illis Cardinalibus Nuceriæ captis, quinq; illos saccis inuolutos, & in mare demersos. Luna enim domina maris est. Itaq; insanus Pseudomagus valeat cũ sua galea Caiphæ & Annæ, et similibus futurorum præsagiorũ ineptijs. Hæc enim omnia ad annum Domini* 1389.*impleta sunt. Reuelata aũt erant* Ioachimo, *dũ esset* Abbas *in monasterio* Florensi in Calabria, *circa annũ Domini* 1176. *Concludit has reuelationes Abbas hoc pacto:* Potens est Dominus mutare propositum suum, quia in manibus eius omnia astra sunt cœli.

SEQVVNTVR ANSELMI EPISCOPI MARSICHANI VATICINIA SCRIPTA AB EO, ANNO DOmini 1278. quæ post obitum Bonifacij Papæ Octaui in lucem data erant Perusij.

VATICINIVM XVI.



AN-

ANSELMVS EPISCOPVS.

Incipit principium malorum, hypocrisis abundabit.

Neq; zelus, neque vrsa catulos pascens, in quinque Rhomam sceptra conturbat nouam: & triginta sex annis miser ambulabit. Primus filius, ferę habens quinq; filios, à figuris medius tibi est: ærea autem ciuitas barbaros in se recipit. Cùm autem viderit vrsa, matrem Canũ, miserabiliter lugebit, in altitudine cœli, vt à Deo consequatur auxilium. Multos decipis misera, nequissima, sub aliena pelle vnita: falcem conuerte intra, absconde deceptionem: immuta faciem, sicut benè manens: canes nutris nouos, vt eos habeas in medio tempestatum: sed Christus manifestabit cogitationes tuas: serpens autem omnes velociter cõsumet, cum ijs quos lactas: lactaberis pœnaliter, & manus expandes, quum pedes peruertes, sicut abijciens te ipsum extra: sed Dominus hypocrisim tuam ostendet. Quid mali facis ô tu habens faciem canis admixtam alieno morsu? Quid tu feris? quid mundo aperis os tuum ad pusillos? quomodo eructabit cor tuum verbum bonum ciuitati?

PAVLVS SCALIGER.

Cùm vidisset Anselmus Ioachimi vaticinia vltra 15. Pontificẽ se nõ extendere, ille tandẽ adiecit prognosticon totidẽ Pontificũ. Et siquidẽ Ioachim in terribili põtifice desijt: Anselmus incipit à principio malorũ, et abundãtia hypocrisis. Itaq; suis coloribus successorẽ Vrbani videlicet Bonifaciũ nonum, patria Neapolitanũ, Petrum Tomacellũ antea vocatũ depinxit. Neq; zelus *inquit,*

neque vrsa catulos pascens, *id est, neque Pontifex, neq; magistratus vllus afficiuntur commoditate catulorum, Reip. Christianæ: sed in* quinque sceptra, *id est, in quinque Pontifices transmittit schisma quod Rhomã conturbat nouam. Bonifacius enim fuit tanti animi consilijque, vt primus populi Rhomani vim omnem in Pontificem transtulerit, creatis suo nutu magistratibus omnibus, munitaq; sancti Angeli arce in mole Hadriani sita ad Tiberis pontem, quo ab vrbe in Vaticanum itur: Munitisque item pontibus, quibus in transtiberim Rhomani commeant. Iubileum tandem celebrauit: atq; ita Rhomæ vrbis ad Ecclesiæ subiectionem reductæ gloria & pecunijs iubileo anno perceptis auctus, rem aggressus est nouam, quæ Pontifices Rhomanos successores suos, non minus orbis Christiani, quàm Rhomæ Dominos reddidit. Lege etenim promulgata constituit, non licere cuiquam sacerdotij, ad quod promoueretur, beneficiũ consequi, priusquàm primi illius anni æstimationis pecunias Pontificali ærario dissoluisset. Bonifacius ergo annatarum vsum beneficijs Ecclesiasticis primus imposuit, hac conditione, vt qui beneficium consequeretur, dimidium annui prouentus fisco Apostolico persolueret, quã consuetudinem omnes admisere præter Anglos, qui id de solis Episcopatibus concessere: in cæteris beneficijs non adeò.* Triginta sex annis *à Pontificatu suo Ecclesia misera & schismatica incessit. Primus filius* feræ, id est schismatis, *Bonifacius est, successor Vrbani, penes quem schisma cœpit,* & qui filios quinq; habuit, *scilicet hunc Bonifacium, Innocentium septimum, Gregorium duodecimum, Alexandrum quintum & Ioannem vigesimum tertium, omnes Pontifices in ipso schismate. Medius à figuris primus filius Bonifacius est. Quia inter Vrbanum & Innocentium. Prima etenim figura Vrbanus sextus est: secunda, Bonifacius nonus: tertia Innocentius septimus. Reliqui filij enim ex*

vna

vna figura promanarunt. Innocentius quippe, quòd simul Cardinales tres creauerit, postea tres Pontifices, videlicet Angelum Cornarium, tandem Gregorium duodecimum, successorem Innocentij: Petrum Philardum Cretensem, tandem Alexandrũ quintum, successorem Gregorij duodecimi. Hunc secutus est Ioannes vigesimus quartus, sed depositus, & tertius filius Ottho Columna, Martinus quintus in eius locum suffectus. Aerea autem ciuitas *Rhoma dicitur, quòd vniuersæ Europæ æs ad eam comportetur, & omnes populi illius vectigales quodammodo sint. Hæc, inquit Anselmus, sub hoc Bonifacio* barbaros recepit. *Vndiq; enim religionis caussa populi Rhomam confluebant, propter iubileum annum. Itaque videns magistratus, matrem canum, id est Pontificem, cui ad summam gloriam nil certè defuisset, nisi affinium et cognatorum affinitatibus obtemperans aliquam notam contraxisset. Multa enim crimina per Simoniacam prauitatem committebantur, petentibus contra ius fasq; omnia tum fratribus, tum cognatis: quorũ magna multitudo quæstus gratia Rhomam venerat. Idcircò* vrsa *id est magistratus populusq; Rhomanus, vehementer ægrè ferebant, illum suos ad tantum fastigium euehere, & indies orabant Deum, vt se tantis miserijs liberaret. Multos enim decipiebat Bonifacius miserè, idq; sub aliena pelle vnitus. Indulgentiæ enim, quibus vnitus erat, & quidem plenariæ ita paßim vendebantur, vt iam vilesceret clauium & literarum Apostolicarum autoritas. Propterea hortatur illum Anselmus, vt* falcem conuertat, *intret in conscientiam, & abscondat deceptionẽ,* immutet faciem instar benè agentis: *quandoquidem canes nutriat nouos, vt eos habeat in medio tempestatum. Reuocare ergo hæc omnia Bonifacius conatus, cognatorum precibus eò identidem redire cogebatur. Vnde melius actum cum Ecclesia Dei censerem, si Pontifices, reiectis affinibus & cogna-*

tis, vel ſaltem in mediocri fortuna collocatis, Pontificiæ dignitati potius, quàm carni conſulerent. Hinc ſubiungit Anſelmus, ſed Chriſtus manifeſtabit cogitationes tuas. *Serpens enim, id eſt Ladiſlaus rex, quem in ſinu ſuo aluit, & in regnum paternum reſtituit*, omnes velociter conſumet, *cum iis quos lactas, hoc eſt fundamento regni ſui confirmato, omnes proceres dominatu priuauit, & parere recuſantes è patria deiecit. Idem præſtitit huius ſucceſſor Innocentius ſeptimus, & ipſe de ſinu ſuo eductus. Lactatus ergo eſt pœnaliter Pontifex. Nam in tanta rerum perturbatione diu afflictatus, dolore laterum tandem moritur. Atque hoc illud eſt, quod Anſelmus ait, Manus expandes, cum pedes peruertes*, ſicut abijciens teipſum extra, *id eſt omnia te moriente fient irrita, & Dominus* tuam hypocriſim oſtendet. *Ideo in hæc verba prorumpit Anſelmus,* Quid mali facis ô tu habens faciem canis admixtam alieno morſu? *quid tu feris? quid mundo aperis os tuum ad puſillos?* quomodo eructabit cor tuum verbum bonum ciuitati? *Fortè his verbis quoque innuere voluit, quòd quendam virum, quem ſanctitati deditũ commemorant, Pontifex, vt quidam aiunt, innocentem è medio ſuſtulerit. Ex alpibus namq; deſcenderat in Italiam, anno ante Iubileum, presbyter quidam cum magna hominum multitudine. Is quidem albo indutus panno, tantam modeſtiam vultu ac verbis præ ſe ferebat, vt ab omnibus ſanctus haberetur. In Italiam itaque deſcendens, magnam hominum ac mulierum multitudinem, in ſententiam ſui ipſius breui deduxerat. Linteis albis circumuoluti omnes ſine diſcrimine, mares an fœminæ, ruſtici an ciues, ſerui an liberi eſſent, paſſim veluti pecora, vbi nox oppreſſiſſet dormiebant. Publicè in vicis epulabantur, perlatis vndique certatim quaſi ad ſacrum epulis. Crucifixum ſacerdos ipſe præ ſe ferebat: quem lachrymari ob hominum errata*

dicti-

dictitabat. Id quoties accidisset, succlamabant omnes, veniam à Deo petentes. Laudes beatæ virginis canebant euntes & stantes, hymnis ad id aptè compositis. Ex Cisalpinis autem in Flamminiam, Hetruriam, Picentes aucta opinione sanctitatis veniens, non plebem modò rudem & crudelem, sed & Principes, & Episcopos ciuitatum in sententiam suam facilè pertraxit. Substitit Viterbij cum magna multitudine labore itineris fessus. Rhomam inde (vt ipse dicebat) ad visenda loca sancta, sanctorumque corpora venturus. Sed Bonifacius fraudem subesse veritus, quòd diceret hominem superstitiosum pontificatū appetere, adiuuante illa multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehensum ad se perducant. Sunt qui scribant huius fraudem quæstione detectā fuisse, hominemq; in tanto facinore deprehensum, meritas pœnas luiße, igne scilicet, quo exustū ferunt. Sunt etiam qui dicant nil fraudis in homine deprehensum fuisse, sed id fictum à Pontifice abolendo rumori, quo hominem per inuidiam captum et necatum affirmabant. Vtrum verius sit, Deus nouit. Puto tamen hanc rem hîc Anselmum tetigiße. Moritur Pontifi. sui anno 14. mense 9. anno Domini 1404. Itaque sensus imaginis est, Pontificem vrsum humeris gerere, id est, Remp. Rhomanam, & tamen vrsis ex vtroque latere, lugentibus propter schisma & alia incommoda perniciem Ecclesiæ Rhomanæ totiusque Reipub. Christianæ, nullam opem adferre. Valeat ergo Pseudomagus cum sua futura punitione, quam somniat per vrsos futuram. Autor enim ipse, et veritas historiæ testatur, hoc vaticinium in Bonifacio nono consummatum esse.

VATI.

VATICINIVM XVII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Decimæ diſsipabuntur in effuſione ſanguinis.

Secundus eſt filius: alia fera, volans ſerpens ad meridiem, iunctus nigro, & niger totus priuatus lumine, à coruis manifeſtatus, tempore & figura localibus, qui ſuccedunt paterno fini: exiſtens enim ſerpens niger deſtructor Vrſæ. O quæ eſca miſerorum coruorum: exiſtens

ſtens genus abominabile eorum, Ab oriente miſerabiliter turbabis te ipſum, ſimul & ciuitatem tuarum gentium dabis in tempore meſsi.

PAVLVS SCALIGER.

Succeſſorem Bonifacij noni Innocentium ſeptimum, patria Sulmonenſem, Coſmatum antea vocatum, ſanctæ Crucis presbyterum Cardinalem, Rhomæ, tumultuãte tota Italia, Pontificem creatũ, dicit eſſe ſecundum à Bonifacio filium, *in ſchiſmate procreatũ.* Aliamq; feram, *volantem ſcilicet ſerpentem ad meridiem, ſcilicet Rhomam, iunctum nigro, id eſt Bonifacio, & niger totus priuatus lumine. Nam quam ſecordiam Bonifacio & Vrbano, exiſtens Cardinalis, exprobauit, dicens eorum ſecordia fieri, quo minus ſchiſma Eccleſiæ Rhomanæ, totiusque Reipub. Chriſtianæ perniciens, hactenus extinctum & ſublatum ſit, in eam ipſe incidit. Factus enim Pontifex, in multis Vrbani & Bonifacij veſtigia ſecutus eſt, & quos priuatus carpebat non modò quod tantopere laudabat effecit, verùmetiam iniquo animo ferebat, ſi quis apud ſe ea de re verbum vllum feciſſet. Propterea & tempore & figura ſucceſsit paterno fini, à coruis id eſt Rhomanis manifeſtatus. Adeò enim tumultuosè omnia gubernabat, vt cum ſemel Rhomani reſtitui in libertatem, reddiq; ſibi Capitoliũ, Pontem Miluiũ, & arcem Hadriani peterent, inſtarentq; item vt ſchiſma, ſicut in ipſa creatione ſpoponderat, rem pernicioſi exempli de Eccleſia tolleret, bella extingueret, & ſeditiones, rege Gallorum ad eam rem conficiendam operam ſuam pollicente: ac Petro Luna antipapa, nequaquam tantam concordiã abnuente, Rhomanos ipſos Pontifex perinde ac coruos, fures, & latrones ad Ludouicum nepotem diuertentem, apud hoſpitale ſan-*

cti spiritus via saxea, tanquam ad certum carnificem miserit. Vndecim enim ciues Reipublicæ suæ labenti, negligentia Pontificis, consulturi, statim necantur, è fenestrisq́ deyciuntur, quòd diceret eo modo tolli seditiones & schisma, non alio quidem modo posse. Hac autem sæuitia motus populus Rhomanus, accito Ladislao Apuliæ rege, arma capit, supplicium de Ludouico sumpturus. Verùm Pontifex declinaturus populi furorem, Viterbium cum Ludouico citato gressu proficiscitur. Tum verò populus cùm sæuire in autorem tanti facinoris non posset, in aulicos iram conuertit, quorum bona magna ex parte direpta sunt. Seruati tamen quidam dicuntur, in ædibus Cardinalium Rhomanorum, qui adiuuantibus clientibus, ægrè tamen ad se confugientes tutati sunt. Capto deinde Capitolio, occupatoq́ ponte Miluio, arcem Adriani occupare frustra conati sunt, adiuuantibus etiam Rhomanos, Ioanne Columna Troiæ Comite, Gentile Monterano Comite Carrariæ, egregijs tum copiarum ducibus, & Ladislai Regis auspicijs militantibus. Verùm superueniente Paulo Vrsino, mandato Pontificis, cum Mostarda, & Ceccabolino turmarum præfectis, in pratis Neronianis Iohannem Columnam & reliquam Ladislai militiam fundunt. Hanc ob rem quidem Rhomani multis incommodis circumuenti, cùm & homines & eorum pecora abigerentur, residente etiam ira iam antea concepta, Pontificem in gratiam recipiunt, rogantq́ vt ad vrbem redeat. Erat enim natura comis & blandus, adeoque Pontificij ciuilisq́ iuris peritus, vt facilè homines, tum rationibus, tum suauitate dicendi, in sui ipsius sententiam alliceret. Rebus itaque hoc modo compositis, Rhomam veniens plures Cardinales delegit, ex quibus tandem tres Pontifices inaugurati sunt, videlicet Gregorius duodecimus, Alexander quintus, & Martinus quintus *confirmatoque pontificatu suo, Ludouicum nepotem*

agri

agri Piceni Marchionem creat: eundemq́ Firmanum principem constituit. Moritur pontifi. sui anno secundo. Atque ita serpens niger destruxit vrsam, *Rempublicam Rhomanam: & abominationem, escam miseris coruis parauit. Cæterùm non multò post Pontifex se ab oriente miserè deturbauit, Rhomæ namque mortuus vnicuique scelerato peccandi licentiam reliquit, simul et ciuitatem Rhomanam antea gentibus tempore messis prædam dederat: Ladislaus enim occupauerat Rhomam, & Perusium deditione acceperat. Iam patet decimas, id est Ecclesiæ facultates dissipatas, in effusione sanguinis. Itaque Papa vexillum Ecclesiæ tenens dextra manu, significat hunc Pontificem de Rhomanis & Ecclesia triumphasse: Leua continet arundinem supra quam coruus volat in os serpentis, id est Pontifex quasi aliud agens Rhomanos mittit ad Ludouicum nepotem, tanquàm carnificem, deuorandos. Valeat igitur Pseudomagus cum suo diabolo, et ementita columba, atque dialogo.*



VATICINIVM XVIII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Potentia vestigia Simonis magi tenebit.

Supplicium tertium auis crucifera, equus corniger, principium habens vnitatem, & finē vocationis, vnius recuruæ figuræ numerorū extremæ, Sicut in tempore boni anni veniet dies, in qua tenebit immediatè figurę cur-

curuatæ multam, magnus quidam rex volucrum. Solus enim recipiens principium, media die explebit in cornuto, mediáte ſtella poli veſpere, & propterea multum velox exiſtens ad bella paratus. O genus Bizantij habens aditus nobis inclinatos: ô amice, ſed vltima ſyllaba lucrabitur te in locis irriguis, propter ſpem, & finis cornu eſt.

PAVLVS SCALIGER.

Anſelmus hoc vaticinio notat Gregorium duodecimum, natione Venetum, antea Angelum Cornarium dictum. Hic enim maximæ ſeueritatis et ſanctimoniæ vir, pontificatu ſuſcepto, iterato ad deponendum Pontificatum ſe ſcripto adhibitis notarijs, & teſtibus obligauit, ſi Benedictus antipapa, qui alterum Pontificatum in Gallia tenebat, ſe quoq; abdicaret. Cohortantes igitur in principio ſeſe prædicti Pontifices, & ad mutuam abdicationem offerentes, de loco, quo ſine diſcrimine vterq; venire poſſet, diſputatio erat. Qua de re cùm inter ipſos non ſatis conueniret, colluſores, et fidefragi, ab vtroq; Cardinalium conuentu ſunt habiti, & maioris diuiſionis autores. Quapropter Concilium Piſis celebratum eſt, in quo colluſionis conuicti, Pontificatu ambo priuati ſunt, & Alexander electus. Cæterùm abſente Gregorio armis omnia Rhomæ circumſonabant. Gregorius autem quaſi profugus Ariminum ad Carolum Malateſtam ſe contulit, ab eoq́ per quàm benignè acceptus. Benedictus autem ad Caſtellum Paniſcholæ locum munitiſſimum confugit. Porrò licet vterq; exautoratus fuerit, neuter tamen deſtitit à creatione Cardinalium, maximè verò Gregorius, qui dum Lucæ eſſet, in primis de conſenſu Cardinalium, qui nondũ ab eo deceſſerant, Gabrielem Condelmarium, poſtea Eugenium quartum, Cardinalem creat. Hic

 tandem

tandem ad Concilium Constantiense misso Carolo Malatesta Oratore, pontificatu se liberè abdicauit. Itaque potentia vestigia Simonis Magi tenebat, cùm præponeret publicè vtilitati priuatam gloriam & emolumentum. Supplicium ergo scilicet tertij filij, videlicet auis crucifera id est aquila, quam supra coronam gerit, & equus corniger id est vnicornis: Nam propter vnitatem quidem Gregorius suscepit Pontificatum, eo tamen fine, vt propter eandem vnitatem, exigente vocatione, suscipiat recuruam numeri figuram, quæ est C. quod centum significat, hoc loci autem denotat, Cessa. Adueniente ergo boni anni die, id est Constantiensis Concilij: vrgente rege volucrum, id est Cæsare, qui solus in cornuto, id est Gregorio gente Cornaria, media die, id est in consessu Cardinalium: principium, id est traditam potestatem Gregorio, recipiens expleuit, idq; mediante stella poli, id est Carolo Malatesta, principe Arimini, & quidem vespere, id est ad extremum, cùm videret rem secus fieri haud posse, propter metum belli, ad quod Cæsar velox & paratus erat. Idcirco exclamat, O Bizantium, id est Constantinopolis, vtinam haberes auditum paratum, ô amice: Sed vltima syllaba id est voluntas liberaq́ue abdicatio lucrata est illum in locis irriguis, id est ad mare propter spem, quæ cornu sedauit, vt esset agri Piceni consensu omnis conuentus legatus. Vnicornius igitur in hac figura vnitatem significat, supra mitram papalem aquila, Cæsarem: à dextris adolescens Carolum Malatestam oratorem. Quasi dicat propter vnitatem et concordiam Gregorius duodecimus in gratiam Imperatoris, per Malatestam oratorem abdicabit se Pontificatu. Valeat proinde Pseudomagus, cum suis somnijs, qui hîc nescio quid de castitate vnicornis, & clauibus Pontificum somniat: sed & aquilam omisit, vsque adeò peritus suæ magiæ, scilicet.

VATICINIVM XIX.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Confusio & error incitabitur.

Iste ab vrsa, carens gladijs, & homo mouens incisionẽ rosæ: tamẽ siccabitur sicut rosa: Incidet rosam cui9 motus tertius: & est tertia litera, & tertium elementum significat, manus falx: illa in prima litera incidit rosam, miserum elementum illud. Inde recipiens eam non mise-

miſerebitur tuis: quamuis in principatu maneas. Vide enim, iſte incipit colligere, roſam ante ferens. habens finem, in quo multum fruſtra lætare.

PAVLVS SCALIGER.

Vaticinium hoc depingit Alexandrum quintum, natione Cretenſem, Petrum Candianum antea vocatum, virum doctrina & ſanctitate vitæ præclarum, in Concilio Piſano, Gregorio & Benedicto abrogatis, omninm conſenſu, Pontificem creatum. Hunc dicit ab vrſa eſſe, & carere gladijs, id eſt Rempub. Rhomanam, non ferro, ſed verbo gubernare, atque cum quouis Principe optimo, & liberalitate & magnitudine animi, conferri poſſe. Adeò enim munificus erat in pauperes, & viros ſua benignitate dignos, vt breui nil ſibi reliquerit. Vnde per iocum dicere interdum ſolebat, ſe diuitem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem. In eo enim defuit habendi cupiditas, quæ vna cum re & ætate accreſcit ſimul. Sed hoc vitium cadere in viros bonos, & rerum humanarum contemptores non poteſt: qui quò magis conſeneſcunt, eò minus viatici indigere ſe cognoſcunt: & ob hanc rem cupiditates ſedant, refrenant auaritiam, ac cæteras animi labes expellunt. Tāti præterea animi Alexander fuit, vt Ladiſlaum regem tum potiſſimum, qui ditionē Eccleſiæ, Pontificibus abſentibus, diu multumq́ue vexauerat, oppidaq́ue aliquot vi occupauerat, in Concilio Piſano approbantibus qui tum aderant, regno priuauerit: iusq́ illud Andegauiæ Duci competere declarauerit. Idcirco inquit Anſelmus, Et homo mouens inciſionem roſæ, id eſt regis Neapolitani, ſiccabitur ſicut roſa: octauo enim Pontificatus ſui menſe Bononiæ mortuus & ſepultus eſt. Cùm verò Alexander grauiter ægrotare cœpiſſet, noſſetq́

nosſetq́; mortem propè inſtare, Cardinales ad ſe venientes ad concordiam, ad pacem, ad tuendam Eccleſiæ dignitatem adhortatur. Teſtatus prætereà eſt per eam mortem quam ante oculos ſe continuò cernere dicebat: nec reformidare, conſciẽtia benè actæ vitæ motus, ſe exiſtimare & credere, quæ in Concilio Piſano decreta fuiſſent, rectè atque integrè facta eſſe omnia, ſine dolo malo fraudéue. Cùm hæc dixiſſet lachrymantibus omnibus qui aderant, illud Saluatoris verbum ægrè proferens, Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ſtatim moritur. Pontific. ſui menſe octauo. Cæterùm Ladiſlai illa priuatio, magnam confuſionem & errorem concitauit. Incidit enim Alexander roſam, hicq́; motus tertius eſt, cùm ſecundus in Innocentio ſeptimo fuerit, & ſupplicium tertium in Gregorio duodecimo, & tertia litera, tertium ſcilicet elementũ, vtpote manus falcaria (nam primum elementum eſt litera prima, ſiue columna, cui ineſt rex Apuliæ coronatus: ſecunda cui ineſt imago monachi, id eſt Alexandri quinti, hic Pontifex enim fuit frater ordinis minorum: tertia cui ineſt, manus, id eſt concilium, falcem monacho, id eſt Pontifici tradens) in prima litera ſiue columna (columnis autem ſtabilitatem & potentiam indicat: ſic concilium ſtabile & potens eſt: itidem & Pontificatus & regnum, ex quorum diſſenſione confuſio & error: ſicut ex illorum concordia, robur & fortitudo naſcitur) incidit roſam, id eſt regem regno priuauit. Miſerum appellat illud elementum, quia recepta roſa Ladiſlaus non eſt Pontificis vllius, quàm diu vixit, miſertus, licet Pontificatu potentes fuerint. Varia enim fortuna inter pontifices ſequentes & regem ſemper fuit. Itaq; cœperat Alexander colligere Eccleſiam, à roſa initium ſumens, ſed propter vitæ ſuæ ſubitum finem, fruſtra laborauit. Valeat ergo Pſeudomagus cum ſua idololatria, ſuisq́; nugis, et impoſtura: ne hic quidem prætermiſit imponere: pro fal-

M ce enim

ce enim cornu pinxit: idq; contra autoris mentem, vt vetustissimum exemplar, & textus ipse Anselmi, testatur, vt tantò commodiùs suas nugas distrahere astutissimus serpens valeat. Neq; enim aliam causam subesse puto, cur verba vaticinij, si vidit, omiserit, quàm vt, neglecta interpretatione prophetiæ, ipse sibi nouam & seditiosam confingeret.

VATICINIVM XX.



ANSEL-

ANSELMVS EPISCOPVS.

Elatio paupertatis, obedientia, caſtitas, gaſtrimargiæ & hypocritarum deſtructio.

Vide iterum alienum medium, falcem magnam, & roſam quam fert tertium ante duplicatum primum elementum. Item coniuncta fore quatuor menſium, te ſcribo, & principatus ante omnia, templa idolorum, poſt paululum reſuſcitabo, tres ante tres annos in vnũ. Viues ſenex valde, præcipitaberis in infernum duabus tribulationibus, in medio.

PAVLVS SCALIGER.

Depingitur hîc Ioannes vigeſimus quartus, patria Neapolitanus, & nobilis Baldeſar cognomento Coſſa, Bononiæ omnium conſenſu Pontifex creatus. Appellat illum medium, *id eſt in medio conſtitutũ Pontificem,* ſed alienum, *quia depoſitus tandem in Concilio Conſtantienſi fuit.* Falcem magnam *id eſt apparatus & copias, quarum duces Paulus Vrſus, & Sfortia, aduerſus Ladiſlaum, mittuntur, et* Roſam *quam fert tertium ante duplicatum primum Elementum, id eſt rex Apuliæ: ob oculos Pontifici Anſelmus ponit, vt benè deliberet, quod ſemel ſtatuendum putauerit. Hoc eſt, admonet officij Pontificem, vt diligenter conſideret, quæ mala ſequi poßint, ſi in regem bellum moueat: videlicet id fore,* vt alienus de medio fiat, *hoc eſt Pontificatu deijciatur. Ladiſlaus enim Pontificem vicißim ſequenti anno bello vexare cœpit. Ideò Pontifex timore correptus Florentiam primò, poſtmodum Bononiam venit, ac tandem Mantuam ad Ioannem Franciſcum Gonzagam profectus eſt. Deinde & Laudæ, & Cremonæ cum Sigiſmundo Cæſare, de*

pellendo Ladiſlao, qui Rhomam & multa Eccleſiæ oppida occupauerat, conuentum habuit. Inde ad Concilium Ioannes omnium nationum conſenſu citatus (quod Anſelmus coniuncta *appellat) Conſtantiam, ad tollendum ſchiſma proficiſcitur: admonentibus tamen quibuſdam ne id faceret, quòd vererentur, ne cùm Pontifex accederet, priuatus reuerteretur, quod etiam contigit. Itaque ſuperueniente Sigiſmundo, multa crimina Pontifici obiecta ſunt, quorum cauſſa mutato habitu familiaq́; clanculum noctu fugiens, cùm iam quatuor mẽſibus in concilio fuiſſet, Scaphuſam ſe contulit, veritus ne quid grauius in ſe conſuleretur. Idcirco, inquit Anſelmus*, Coniuncta forè quatuor menſium, te ſcribo, *id eſt,* vbi Concilium quatuor menſes ſuperauerit, te accuſo: & principatus ante omnia templa idolorum, poſt paululum reſuſcitabo, *tres ante tres annos in vnum, id eſt nationes omnes videlicet Italicam, Gallicam, Germanicam, Hiſpanicam, & Anglicam in tria idola, videlicet Ioannem, Gregorium, & Benedictum ſuſcitabo: harum enim nationum ſuffragijs in Concilio tria illa depoſita ſunt idola, & vnus electus omnium votis Martinus quintus. Triennio autem Heydelbergæ Ioannes captus aſſeruatus eſt, ſenex valde, & in infernum, id eſt captiuitatem illam, in medio, Concilij ſcilicet præcipitatus, duabus tribulationibus, quòd & vinctus eſſet, & ſine vllo cubiculario famuloué Italico. Captiuitas per ſe tribulatio fuit vna: ſecunda illa fuit, quòd Theutonici erant cuſtodes omnes, quibus cum Ioannes non niſi nutu & ſignis loquebatur, cùm nec ipſe linguam Theutonicam, nec illi viciſſim Italicam ſcirent: Tres igitur annos ante triennium ſuæ captiuitatis ſuſcitati erant principatus ante templa idolorum. Nam & Apuliæ rex Eccleſiam vexauit, & totidem annis vero Pontifice Eccleſia caruit, multisq́; ſchiſmaticis patuit, qui verè templa Idolorum dicuntur. Iam in*

con-

confeßo est, sub hoc Pontifice elationem paupertatis fuiße, quia pauperum facultatibus elatus, vi sibi pontificatum vendicauit, inquiens ad Cardinales, votum à se poscentes, Date mihi Petri chlamidē ego eam dabo Pontifici, palliū humeris suis imponens, cuius potentiam veriti Cardinales: Bononiensis enim Legatus erat, & stipatus militibus, natura miles, illum in Pontificem metu crearunt. Atq; hoc innuit rosa quā manu sinistra gestat. Obedientia tandem in eo fuit, nam à carceribus liberatus, ad Martinum venit sese pedibus Martini subijciens, eum vt Pontificē verum & vnicum recognouit, sed etiam obedientiam omnes nationes itidem præstiterunt: Castitas instaurata: gastrimargia atque hypocrisis sublata est, cùm omnes nationes, & in primis Imperator, nimio gaudio effusus, nullo habitu dignitatis suæ discrimine, conclaue ingreßus, gratias omnibus egit, qui tantum virum & tam neceßarium Reipub. Christianæ propè extinctæ delegißent: & ante Pontificem prostratus, cum summa veneratione eius pedes exosculatus est, quem contrà Pontifex, non secus ac fratrem in precio habuit, eiq; gratias egit, quòd sua opera et industria pax tandem Ecclesiæ Dei reddita eßet. Hinc constat Pontificis imaginem, magnam falcem manu dextra continentem & metentem, bellum aduersus regem Ladislaum pro Ecclesia, designare. Crus cum pede nudum truncatum à sinistris, deiectionem & denudationem Ioannis repræsentat. A dextris litera B. siue pro litera ipsa sumatur, siue pro chalybe igniaria, carcerem, & tribulationem, maximè cùm supina iaceat B denotat. Valeat ergo Pseudomagus cum suo monacho concionatore, somnijsque vigilantium.

VATICINIVM XXI.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Incisio hypocrisis in abominatione erit.

Vacca ante quintum, & filij vrsæ pascentis figura, manifestat locum, & modum, vnde adueniens solus manifestat, vel denotat mihi primos amicos: & habens virtutem, dispensa circa amicos: propterea inuenisti fi-nem

nem dulcissimum, solus sublimaris ad gloriā, & mortuo relinques, potentissimè potentias: sicut imbrem enim benè inuenies potentias.

PAVLVS SCALIGER.

Describitur Martinus quintus, patria Rhomanus, Ottho columna, prius vocatus, non magis suo, quàm Ecclesiæ iam labentis tempore Pontifex in Concilio creatus, nationum omniū, & Cardinalium consensu. Qui in pontificatu constitutus non somno, & otio, sed negotio & solicitudini deditus, omnia ad rem pertinentia miro perfecit modo. Vir antea nequaquam sagax existimatus, sed benignus. In pontificatu tamen ita opinionem de se prius habitam redarguit, vt sagacitas quidem in eo summa: benignitas verò neque superflua, neque minima reperiretur. Quid agendum, & quid vitandum esset, statim re proposita acutissimè dijudicabat. Breuis in dicendo, cautior in agendo, adeò vt prius rem factam, cernerent homines, quàm ab eo excogitatam putarent. Ex eius ore nullum verbum tam crebrò quàm iustitiæ prodibat. Ad suos persæpe conuersus, maximè ad eos qui prouincias & ciuitates gubernabant, his verbis vtebatur, Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Indigebat tum profectò tali Pontifice Ecclesia Dei, qui nauiculam Petri schismatis, & seditionum omnium fluctibus quassam, redigere in portum salutis gubernaculo admotus sciret & posset. Summa: Vir hic in omni vita integer fuit. Idcirco vacca ante quintum, scilicet Martinum constituitur, id est Ioannes vigesimus quartus sese pedibus Martini subijcit, id quod factum est opera filij vrsæ, id est, Sigismundi Rhomani Imperatoris, cuius figura, id est industria, manifestant locum & modum, scilicet Constantiam & artem,

vnde

vnde Martinus aduenienſ, ſolus manifeſtauit amicos, id eſt ſolus pacem & concordiam in Eccleſiam Dei, diu ſchiſmate & varijs calamitatibus vexatam inuexit. Virtute igitur, poteſtate ſcilicet Pontificali adornatus, omnia circa amicos diſpenſauit, id eſt ritè diſpoſuit, quæcunque ad amicitiam & tranquillitatem ſpectarent. Nulli tum latrones extabant maximè deuicto, & extincto Brachio Alphonſi militiæ duce, nulli ſicarij & fures, licebat tum frui ocio et liberè per ſyluas noctu etiam ac tutò commeare. Ac licet inter Philippum Ducem Mediolanenſem, et Venetos ſubortum erat bellum calamitoſum: vno in anno ter collatis ſignis pugnatum eſt, bis æquo Marte vtrinque diſceſſum, tertiò Philippi copiæ ſuperatæ & Carolus Malateſta totius exercitus dux captus: Quocirca extremum remedium Philippo erat Sigiſmundum Vilchelmum & Brunorum Scaligeros in Venetos concitare (vt fidem inueniat ſeries noſtra, & Venetorum ſplendidiſsimum mendaciū eluceſcat, qui omnibus ſuis hiſtorijs tradunt, Scaligerorum familiam extinctam eſſe in Vilhelmo Canis Rabidi filio, eiuſque duobus liberis, Antonio & Brunoro à Franciſco Carrario, tempore Innocentij ſeptimi, necatis. Hic porrò Martinus ab Innocentio quintus Pontifex eſt, ſub quo & Sigiſmundus & Brunorus Scaligeri, dolo Venetorum, filij Canis & Bartholomæi vltimi qui Veronæ imperauit, apud Hungariæ regem exiſtentes, in Venetos concitantur) Martinus tamen Pontifex Philippi res in maximo diſcrimine videns pacem inter Philippū & Venetos feliciſsimè compoſuit. Propterea inuenit hic Pontifex finem dulciſsimum, id eſt ſummam obedientiam omnium nationum, & ſolus fuit ſublimatus, id eſt ad ſummum faſtigiū pontificatus, exiſtimationis, pietatis, & iuſtitiæ euectus. Qui etiam mortuus potentiam ſummam atque obedientiam, ſuo ſucceſſori reliquit, non ſecus ac imbrem, cælitus affluenter demiſſum. Hinc factum

factum est, vt hypocrisis in abominationem venerit. Itaque Imaginis hic est sensus, Papa compositis ad commiserationem manibus, probitatem & pietatem indicat. Vacca ante pedes Ioannem vigesimum quartum humiliatum, qua humilitate Martinus motus, illum primum Cardinalem Tusculanum effecit. Imperator et Imperatrix, siue rex & regina, Sigismundum atque consortem illius innuit: ambo enim Concilio interfuerunt, & reuerentiam Martino exhibuerunt. Significatur etiam rex Alouisius, Ludouici regis filius, qui à Martino regni Neapolitani titulum consecutus est, Cardinalium omnium consensu. In regnum namque per adoptionem à regina Ioanna Ladislai sorore vocatus erat. Qua de re Alphonsus Aragonũ rex, de Martino conquestus est, quòd diceret eius opera se à regina Ioanna abrogatum regno esse, quẽ prius hæredem instituerat, & Alouisium regis Siciliæ filium, nouum hæredem institutum. Ad hunc etiam Pontificem Oratores Cõstantinopolitani Imperatoris venere, pollicẽtes Græcos, quod ad fidem pertineret, velle in sententiam Latinorum venire, si æquæ conditiones proponerentur. Quæ omnia per semi imagines illas regum, intelligenda veniunt. Siue ergo per imaginem regis Imper. Sigismundus, siue rex Alouisius, aut Alphonsus: siue per reginæ imaginem, Imperatrix, vel regina Ioanna intelligantur, idem est: quòd si duæ regum imagines sunt, aut duos reges designant, Alouisiũ et Alphonsum, aut duos Imperatores denotant: maximè verò Imperatores Orientalem et Occidentalem, illis designari putarem, quorum alter Pontifici obedientiam præstiterat, alter præstare cupiebat, sicut in Eugenio quarto patet. Pacata hoc modo vndique Ecclesia Dei, vir integerrimus, pontificatus sui anno decimoquarto, mense tertio Rhomæ Apoplexia moritur, ætatis suæ anno 63. & sepelitur in basilica Constantiniana comitante populo Rhomano, comitante Clero, non aliter

flente quàm ſi Eccleſia Dei, ſi vrbs Rhoma vnico atque optimo parente orbata fuiſſet. Valeat ergo Pſeudomagus cum ſuo Tauro & id genus ementitis nenijs.

VATICINIVM XXII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Occaſionem filij Balac ſectabuntur.

Alia Vrſa ſecundò paſcens catulos: & in omnibus illa,

la, præterquam in vmbra tantùm: natura temporum, natiuitas abortiua. In vltima enim ſcribitur vltimæ. Subſolares antè, vtriſque Coronis manifeſtantur, diuiſiones, totius pænitentiæ.

PAVLVS SCALIGER.

Deſcribitur hîc Eugenius quartus, patria Venetus, familia Condelmeria, Gabriel antea vocatus, Gregorij 12. ex ſorore nepos. Vir certè in vita varius. Principio enim Pontificatus ſui malis conſilijs ductus, diuina humanaq; omnia perturbauit. Nam et populum Rhomanum, Cardinalis Vrſini artibus, ad arma exciuit: & Concilio Baſilienſi, vnde infinita mala orta ſunt, autoritatem dedit, approbatis eorum per literas Apoſtolicas decretis. Idcirco inquit Anſelmus, Alia vrſa ſecundò paſcens Catulos, *id eſt Pontifex hic à primi vaticinij Pontifice Nicolao tertio, familia Vrſino, ſecundus eſt, qui factioni Vrſinæ faueat, contra Columnenſium inueteratum odium. Qui quidem Pontifex in omnibus ſimilis fuit Nicolao, quod ad patrocinium Vrſinorum attinet,* ſed in vmbra tantùm, *id eſt, non ex Vrſina gente, ſed Vrſinam gentem tantùm adumbrans & repræſentans, veluti quòd ſub vmbra ſua, ſuoq; patrocinio, idq; malis conſilijs, omnia fierent. Verùm poſtea ad ſe ipſum rediens, & remota vmbra, omnia prudenter ac conſtantiſsimè egit, vir aſpectu inſigni & veneratione dignus: liberalis in omnes, tum vel maximè in literatos, quorum familiaritate delectatus eſt: ad iram non facilè mouebatur ob iniurias illatas, & maledicentiam hominum, aut mimos, & dicteria ſcribentium: Gymnaſia omnia, & in primis Rhomanum quàm diligentiſsimè fouit: Religioſos mirum in modum dilexit, eosque opibus, & immunitatibus auxit: conſtans in*

pactis seruandis, & à vino abstinentissimus fuit. Bella autem ita amauit, quod in Pontifice mirum videri debet, vt & Ladislaum regem, cum Iuliano Cardinali in Thurcos miserit: quorum de numero ad triginta millia vno prælio cæsa, inter Hadrianopolim, & Danubium sunt: & Delphinum Caroli regis Franciæ filium, composita prius inter regem et Ducem Burgũdiæ pace, cum magno equitatu in Basilienses concitauerit: cuius impetu dissipatus ille conuentus est, & adimpletũ, quod Anselmus prædixit. Natura temporum, natiuitas abortiua, *id est Basiliense Concilium, pro ratione temporis, non tempestiuè ortum est. Proinde in hac vltima occasione* filij Balac, *id est dissensione, et schismate, præscribitur vltimæ. Felix enim in Concilio Basiliensi vltimo schismate, ob varias, An Pontifex esset supra Concilium, nõ sine scandalo Reipub. Christianæ disceptationes, artibus Philippi Ducis Mediolanensis Eugenio infensi Pontifex creatus, & præscriptus est, id est ad mortem vsq; Eugenij permansit. Vnde magnæ seditiones in Ecclesia Dei exortæ sunt: cùm Christiana Respub. trifariam diuisa, aut Felicem, aut Eugenium sequeretur, essentq; qui neutrales vocarẽtur, videlicet Germani, quòd neutri obtemperarent. Cæterùm ante istas subsolares, id est Pontificias Conciliorumq; diuisiones, vtrisque coronis manifestatæ sunt pœnitentiæ totius. Et Sigismundus enim Cæsar ab Eugenio coronam imperij suscepit, eodem anno, quo Nicolao Scaligero filio Sigismundi Vilhelmi, mortua priore vxore Barbara Leopoldi Austrij filia, secundam videlicet Isabellam, Leonelli Astæ, & Alexandriæ Marchionis filiam elocauit: atque Concilij tempore ante electionem Felicis, mortem cum vita permutauit: & Cæsar Græcorum ad Eugenium, primùm Ferrariam, deinde Florentiam, Concilio Basiliensi translato, ibiq; discussa, Græcorum et Latinorum contentione, cum suis victus pœnitentiam egit. Fassi etenim sunt*

Græ-

Græci, & spiritum sanctum à patre filioq; procedere, homousionque esse, non à patre tantùm, vt ipsi credebant, prouenire, & in azymo sine fermento triticeo pane corpus Christi consecrari, ac purgatorij locum esse crediderunt, Postremo etiam confessi sunt Rhomanum Pontificem verum Christi vicarium, Petriq; legitimum successorem, primum in orbe locum tenere, cui & Orientalis & Occidentalis Ecclesia meritò pareret. Abeuntibus autem Græcis re hoc modo composita, Armenij etiam cum fide nostra conuenere, sublatis crebris disputationibus eorum erroribus, promulgatisq; Eugenij literis super ea re, quæ rationem concordiæ ostenderent, cum inscriptione, Datum in sacrosancta Oecumenica sessione Concilij Florentini, quod in Cathedrali Ecclesia habitum est, Anno Domini 1439. vigesima secunda Nouemb. die. Ita pœnitentia totius facilè eluxit, & vtriusque imperij corona Eugenio manifestata fuit: licet quidam occasionem Balac sectati, & Eugenium deturbare, suisq; maledictis commaculare, & censuris conficere, conati fuerint. moritur pontif. sui anno 16. septimo Kal. Martij 1446. Iam imago facilè patet, Pontifex enim Eugenius vrsam, id est Cardinalem Vrsinum fouet, & hic sub vmbra Pontificis, catulos suos pascit, sicut expositum est. Valeat ergo Pseudomagus, cum sua fame, & vltima punitione, insignis impostor.

VATICINIVM XXIII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Poteſtas, cœnobia, ad locum paſtorũ redibunt.

Heu miſera, ſuſtinens paſsiones, ciuitas miſerabilis, vt appareat, lumen mox tenebit circa paruum tempus ſedens. In te omnino effuſio ſanguinum, vnde denarij incipientes non deficiant, & quinq; principatus à monarchia tua Draconem confringent, quem occidit lilium:

lium: frustatim laniabunt membra illius non cæsa ad pugnam, intestina excitata: & mirabilem multitudinē cædent gladio, ad milliaria sex, septem numerata, & omnis implicitus fornicationes, & cædes maculatus, adulter, raptor, iniustus, sodomita, videbunt lumen ante oculos eius.

PAVLVS SCALIGER.

Depingitur Basiliense Concilium, Basileam appellat ciuitatem miseram, & tribulationibus idcirco subiectam, quòd cupiat in ea Concilium elucere, & potius Florentino esse. Propterea inquit lumen mox tenebit, circa paruum tempus. Philippus Dux Mediolanensis enim, ægrè ferens Florentinos, adiuuante Eugenio atque adhortante, Franciscum Sfortiam Venetis auxilio misisse, cum his agit, qui in Basiliensi Concilio erant, vt Eugenium citarent: fecere illi id quidem bis terúe, Verum cùm id ex sententia ei non cederet, eò dementiæ eos perpulit, vt abrogato Eugenio, Amedeum Sabaudiæ Ducem socerum suum, qui Eremitanam vitam ad Ripaliam cum quibusdam nobilibus ducebat, Pontificem crearent, Felicemque appellarent. Hinc, vt antea dictum est, magnæ seditiones in Ecclesia Dei exortæ sunt. Hoc porrò lumen Pontificatus Felix exiguo tempore gessit, qui, cùm pacis & humilitatis amator existeret, mortuo Eugenio Pontifice, illico nullis pulsatus precibus, Nicolao eius successori humanissimè cessit. relictoque nomine Papæ, Cardinalatus honorem retinuit, & à Nicolao Legatus de Latere Germaniæ creatus fuit. Ex Concilio Basiliensi planè effusio sanguinum seditionesque variæ promanarunt. Hinc enim nomine Basiliensis Concilÿ triremes Gallicæ in Ionium missæ fuerant, aduer-

aduersus Eugenium: Hinc direptiones, & perturbationes ditionis Ecclesiasticæ: Hinc Philippi erga Eugenium odium, qui Forumliuium, Imolam, Rauennam, Bononiam tum opera Picennini occupauit, quo cogitata Eugenij disturbaret: Hinc Christiana Respub. trifariam diuisa, & id genus infinita incommoda nata sunt. Vnde denarij incipientes non defecerunt, id est centuriones milites stipendijs conducti, Eugenio nō deerant. Hic enim cognita iniustitia, Delphinum Caroli Francorum regis filium cum magno equitatu in Basilienses concitauit, cuius impetu conuentus illico dißipatus est, & quinque principatus à monarchia Basiliensis Concilij, id est quinque nationes, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Pannoniæ, & Italiæ, Draconem id est Concilium illud sua dispersione confregerunt: quod occidit lilium, id est Delphinus Caroli filius dißipauit. Quocirca frustratim membra Concilij laniata sunt, quæ ad pugnam cæsa non erant, & intestina excitata, id est terga dantibus nationibus Cardinalibus Concilij, Basilea direpta & depopulata est, & eorum magnus numerus cæsus, quæ depopulatio & clades, per sex vel septem milliaria continuata fuit, atque illorum fornicatio cædes, adulterium, rapacitas, iniustitia, sodomia retecta, ac tandē potestas Pontifici Nicolao reddita, & legitimis pastoribus à legitimo Pontifice ordinatis, & cœnobijs, atque id genus Ecclesiæ facultatibus præfectis cessum. Itaque ciuitas armatis plena seditionem denotat Concilij Basiliensis, & Delphini in Basilienses impetum. Valeat igitur Pseudomagus cum suis ineptijs, qui per hanc ciuitatem Rhomam à Carolo quinto, nec dum nato, expugnatam, designari somniat. Erat quidem tum Rhoma à Columnensibus & Rhomanis pressa, & Philippo Duce Mediolani, qui omnem vim belli in Eugenium, vbique antea parta pace, conuerterat: nisi Antonij Ridij, præfecti arcis sancti Angeli sagacitas fecisset: tum tamen neq; expugnata, neque

ta, neque depopulata aut prorſus direpta fuit. Mirum deinde eſt, quòd Pſeudomagus hîc fateatur rem præteritã, cûm tamẽ hactenus ſemper futuram inculcauerit, mendacij inſigne argumentũ.

VATICINIVM XXIIII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Bona gratia, ſimonia ceſſabit.

Vulpinam figuraſti amicitiam, patientem ſenſum refrenas, ſicut multum ſenex & canus habens ſenſum.

Veniens autem dupliciter, Volutiones septies voluntariæ omnes dimisisti, constringendas ad inuicem, & effusiones vallis sanguinum effundendas. Tu propter victoriam expandisti manus bene gratioso, & brauium accepisti in fine sceptri.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticiniū vigesimo quinto loco ponit Pseudomagus, autor verò vigesimo quarto attribuit: quo depingitur Nicolaus quintus, Thomas Sarzanus antea vocatus, à Sarzana oppido Lucensis agri, humili loco & familia natus, vno anno Episcopus Bononiensis, Cardinalis, & tandem Pontifex omnium consensu creatus. Vulpinam *inquit* figurasti amicitiam, *id est hic Nicolaus antequam Cardinalis fieret, cum Ioanne Caruagialla, qui postea sancti Angeli Cardinalis est habitus, in Germaniā missus erat, ad tollendum Basiliense Concilium, neutralitatemq́. Redeuntes itaque ad Eugeniū cum hac opinione, quòd castigatis Germanorum postulatis, schisma & neutralitatem, rem quidē Rhomanæ sedi perniciosissimam sustulissent, si stare promissis Germani statuissent & voluissent: idcirco subclamantibus omnibus, Cardinales decernuntur. Atque ita venit Nicolaus Rhomā* dupliciter, *scilicet Episcopus & Cardinalis,* Vulpinam figurauit amicitiam, *id est Concilij Basiliensis vulpinas artes redigere in concordiam conatus fuit, patientia non secus, ac si senio fuisset confectus sensum refrenauit, id quod vel in illis disputationibus, quæ cum Græcis Florentiæ, et Ferrariæ sunt habitæ, egregiè ostendit. Hic dedit Rhomæ aurea secula, consilio illustris, omniq́. virtute illustrior: doctos excoluit doctior ipse viros, abstulit errorem, quo vrbem infecerat schisma. Restituit mores, mœnia,*

nia, templa, domos: Cinxit caput & Friderici & coniugis ipsius, aureo honore. Res Italas icto fœdere composuit, et Rhomanæ linguæ complurima volumina attica prodidit, quæ sexcentis iam anteà annis in situ & tenebris iacuerant: misit & literatos viros per omnem Europam, quorũ industria libri conquirerentur, qui maiorum negligentia, & Barbarorum rapinis iam perierant. Eleemosynas quoque multas in pauperes erogauit: maximè verò in nobiles, ad inopiam ob varios rerum humanarum casus redactos, Virgines inopes sua pecunia & munificentia maritis collocauit. Auaritiæ admodum expers fuit, vt neque officium vllum vendiderit vnquam, neque beneficium Simoniaca prauitate ductus vlli collocauerit. Gratus erga de se, et Ecclesia Dei meritos, amator iustitiæ, pacis autor, et cõseruator: clemens in delinquentes, Ceremoniarum diligentissimus obseruator, nihil quod ad diuinum cultum pertineret omittens. Rectè igitur prædixit Anselmus in hoc Pontifice bonam gratiam, & Simoniam cessasse. Septies sponte legatos misit ad Alphonsum regem, Philippũ Ducem, Franciscum Sfortiam, Venetos, & reliquos Italiæ Principes ad componendam pacem, sedandos exacerbatos animos, & impediendam profusionem sanguinis. Tandem pacatis rebus Italiæ, expandit manus, vt, si quæ deinceps dissensio discordiáue inter eos orta esset, eius tollendæ ius potestatemq; Pontifex haberet: vtq; qui arma alteri intulisset, cognita à Pontifice caussa, is statim communis omnium hostis haberetur. Proinde benè gratiosus, veluti qui in fine sceptri brauium obtinuit, habitus est. In fine autem sceptri ait, quia paulò pòst, vbi audierat Constantinopolim captam, & Imperatorem Græcorum trucidatum, fatis concessit. anno pontific. sui octauo, 1455. Iam imago constat, Pontifici enim hîc vulpes vexillum & claues defert, id est Felix quintus, qui dolo Philippi Ducis Pontifex in Concilio Basi-

liensi fuit creatus, hortante Friderico Imperatore, pontificatu se sponte abdicauit. Quamobrem Nicolaus erga Amadeum vsus est hac benignitate, ad hominem namque galerũ Cardinalatus misit, eundemq́; Legatum Germaniæ fecit, ne omnino sine dignitate viueret. Valeat ergo Pseudomagus cum suo termino, & similibus nugis.

VATICINIVM XXV.



ANSEL-

ANSELMVS EPISCOPVS.

Poteſtas & vnitas imminuetur.

Væ tibi ciuitas ſepticollis, in qua R. litera laudatur, In mœnibus tuis tũc appropinquabit caſus, & deſtructio tuorum potentium & vindicantium iuſtitiã, quæ habet digitos tuos falcatos, eſt falx deſertitudinis: & in altiſsimis blaſphemabũt, ſyncopa cadit ſanguis: Iohannis bona gratia, Conſtantinus, pauper eris, Vide autem tu qui ſancta conſideras, & ſancta ferens ſuper humerum, ne puluis tuus fiat opprobrium. In barba profunda iuſtè incidet, & maximè vituperaberis. Item conſiliarius mortis cuius nomen Ca. Bo.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinio indicatur excidium Conſtantinopolitanum. Væ inquit tibi ſepticollis ciuitas in qua R. litera laudatur, id eſt Rhoma quæ ſeptem colles cõtinet. In mœnibus tuis tunc appropinquabit caſus, id eſt res tua agitur, dum proximi paries ardet. Potentes tui cadent, qui vindicant iuſtitiam. Græci enim dum imperabant & pro iuſtitia, id eſt Chriſtiana Religione & libertate propugnabant, benè cum Rhomanis agebatur. Habebat enim Græcia Rhomanorum digitos falcatos, id eſt Græci Rhomanis aduerſus Thurcam pro falce erant: iam verò ipſi facti ſunt falx deſerti, in cuius altitudine, id eſt imperio, dominatur nunc blaſphemia, id eſt fœda Thurcorum gens, & infidelis. ſyncopa cadit ſanguis. Iohannes bona gratia Conſtantinus, pauper eris, *id eſt abſciſſus atque è medio ſublatus eſt Conſtantinus, Iohannis bona gratia, tanquam fratris ſucceſſor,*

propterea quia à Rhomanis vicinis, iunctis fœdere Christiano, derelictus nil habuerit auxilij: quæ res Nicolao quinto mortem acciuit. Quocirca minatur Rhomæ inquiens, Vide autem tu Rhoma circa sancta, id est reliquias sanctorum occupata. ne puluis tuus, id est populus, æquè opprobrio ac Constantinopolis fiat. In barbam enim profundam incidet, id est primò Longobardiā peruadet, cuius præcursor Philippus Dux est. & tunc maximè vituperaberis, id est tunc cumulabitur in te summa blasphemia. sed id fore consilio inquit, cuiusdam consiliarij mortis cuius nomen Ca. Bo. Fortè innuit, quòd sub Clemente Carolus Borbonius, exercitus Caroli quinti primarius Dux Rhomam occupauit, sed non sine graui iactura: ipse Borbonius enim cecidit, idcirco appellat illum Anselmus consiliarium mortis, cuius interitus militum animos, quibus erat charissimus, grauissimè irritauit. Quare militaris insolentia, quam cæterorum Ducum autoritas compescere nō satis poterat, plurima petulantissimè designauit, acerba auditu ijs, qui Apostolicæ sedi synceriter adhærent. Pontifex qui confugerat in Castrum S. Angeli aliquot pòst diebus, cùm arctius premeretur, se dedidit, quæ tamen omnia gesta sunt Cæsare nesciente: sicut postea res ipsa testatum fecit. Iam imaginis sensus difficilis esse nequit. Ciuitas hæc Constantinopolis est, in qua digiti Rhomanorum, siue manus ipsæ abscissæ, id est potentia imminuta est: sunt autem depictæ tres alterutrinque, propter violatam fidem, qua Rhomani Græcis succurrere tenebantur, idq; in virtute triadis, quam homousion confessi Eugenio fuerant. Valeat ergo insanus Pseudomagus, cum sua Nurenbergensi imagine: hanc ille vigesimo quarto loco ponit, cùm autor illam statuat vigesimo quinto.

VATICINIVM XXVI.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Bona operatio, thesaurũ pauperibus erogabit.

Et reuelabitur virtus, qui habet pronomen monachi, petram habitans. Eia, venit mihi relinquens, iustũ agrestem, & gemebundus congregans bona, dissipans omne brauiũ iniquitatis, & iniustificatũ. Quãdo maior stella apparebit nigra? nudus itẽ vade ad inferiora terrę.

PAV-

PAVLVS SCALIGER.

Depingitur hîc Calixtus, Alphonsus cognomine, Boria antea vocatus, patria Satiuensis, Cardinalium suffragijs Pontifex creatus, qui in omni vita integerrimus fuit, et eleemosynas Christi pauperibus frequentes erogabat, propterea illi Anselmus bonam tribuit operationem, & thesauri in pauperes erogationem, Et reuelabitur, inquit, virtus illius, qui habet pronomē monachi, id est qui veri monachi vitam & mores retinebit. Hic enim fuit in victu parcus, in sermone modestissimus, facilis aditu, quantum ei per ætatem licebat: iam enim octogesimum attigerat annum: nec tamen de studijs suis quicquam remiserat, legebat ipse, aut legentes audiebat, si quid in tanto rerum fastigio ei temporis supererat. Officium transfigurationis Domini nostri Iesu Christi ipse composuit. Tantæ denique fuit sanctitatis, vt non dubitauerit Vsumcassanus Persarū & Armeniæ princeps, superatis persæpè hostibus, ad ipsum scribere, se quidem victoriam ex hoste reportasse, ob preces ab eo ad Deum habitas, eiusque beneficij diuini potius, quàm humani se aliquando memorem futurum. Itidem & Ioannes Scaliger, Hunnorū princeps, & Dux militiæ Hungarorum, cum Ioanne Capistrano, crucem pro vexillo hostibus inferente, ad Bellogradum contra Thurcos dimicantes precibus Calixti & Christianorum tribuebant, & Bellogradum ingenti clade superarunt. Sex enim hominum millia ex hostibus interfecta sunt, cum parua nostrorum manu. Quare Thurcus perterritus Constantinopolim properè se recepit. Actum de crudelissimo genere tum certè fuisset, si Christiani principes, omissis intestinis bellis & odijs, terra ac mari tantam victoriā prosecuti fuissent, quemadmodum Calixtus prædicabat & monebat. Quo fit vt rectè Anselmus de huius Pontificis sanctitate vaticinatus sit, Pe-

tram

tram *inquit* illum habitaturum, *quia in palatio diui Petri, id est Ecclesia Christi, vera petra, habitauit firmus. Hic venit Ecclesiæ optatus, iustus, & sollicitè congregans bona, aduersus Christiani nominis hostes. Quamobrem Prædicatores per vniuersam Europā statim misit, qui omnes Christianos in Thurcos animarent, suisq́ opibus profectionem adiuuarent, sedecim proinde triremes Rhomæ ædificatas in hostem misit, Patriarcha Aquilegiensi præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexauit, Insulas quasdam cepit, & magnas calamitates hostibus intulit. Alphonsus rex, & Burgundiæ Dux Crucis signum suscipientes, ituros se in hostem profitebantur, vel armatos milites missuros. Sacerdotibus propterea aliquot dierum supplicationes decreuit, mādauit præterea vt aßiduo rogatu Deus flecteretur: circa meridiem campanis signum dari iußit fidelibus, vt orationibus eos iuuarent, qui contra Thurcos cōtinuò dimicabant. Quocirca etiam officium transfigurationis, vt dictum est, instituit, ac dißipauit omne brauium iniquitatis & iniustitiæ prorsus abrogauit. Reliquit centum & quindecim millia nummûm aureorum, quos in vsus bellicos contra Thurcos comparauerat, sub ipsa Eclipsi mortuus est pontificatus sui anno tertio, mense tertio, die decimo sexto. Idcirco prædixit Anselmus, Quando maior stella apparebit nigra, nudus item vade ad inferiora terræ. Propterea etiam nudus super saxum durū depictus est, cui adstat alius sui ordinis, id est Dominicus sanctæ Crucis Cardinalis, & summus pœnitentiarius, vir quidem grauis & sapientißimus, qui & ipse, dum Calixti funus celebrarent, moritur. Valeat ergo Pseudomagus cum sua egestate.*

VATICINIVM XXVII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Bona intentio, charitas abundabit.

Mortuus quaſi non videtur, & nunc oblitus eius aſpectus: nouerunt eum multi: quamuis nullus iuſtũ videat: à deitate & oriente manifeſtatus, ex inſperato ſceptra tenebit iſtius imperij. Stylus manifeſtatus in

cœlo,

cœlo, præco inuisibilis ter clamabit maximè, Ite cum festinantia ad Occidentem septicollis, & inuenietis virum habitatorem, amicum meum, fortem, nõ in regia domo, caluum, iustum, mansuetum & mitem, ac altæ mentis, acutissimum ad videndum futura præcipuè, Iterum habebit septicollis imperium.

PAVLVS SCALIGER.

Describitur hîc Pius secundus, Aeneas Syluius, cognomine Picolhomineus antea vocatus, natione Italus, Senis Oriundus, Corsiniani ortus patre Syluio, matre Victoria, patrum omnium consensu Pontifex creatus, cuius pater à plebe Senensi cum reliqua nobilitate è Republica deiectus, ad fundum gentilitium Corsinianum vallis Vrciæ oppidum se contulit, infantemque eo loci ex vxore suscepit. Hic tandem ad literas animum applicuit, singulari memoria, & summa docilitate præditus, parcè adeò ac duriter vitam duxit, vt omnia ruris officia ob inopiam adire sit coactus. Hinc est, quod Anselmus ait, Mortuus quasi non videtur, & nunc oblitus eius aspectus: nouerunt multi, quamuis nullus iustum videat, *Quasi dicat, abiectus esse videtur, & in ignoratione hominum versari, licet genus illius multis constet, nemo tamen iustum videt, qui ad tantum fastigium euehetur. Deinde dicit,* hunc habitatorem ad Occidentem septicollis, non esse in regia domo, sed caluum, *id est spoliatum, eiectum, veluti qui non in palatijs, sed ruri vitam inopem agere didicerit. Idcirco cùm Senis iuri ciuili operam nauaret, à necessarijs & cognatis adiutus fuit, neque id, propter subortum inter Senenses & Florentinos bellum, caritatem annonæ veritus, & nobilitatem*

plebi Senensi suspectam cernens, diutius continuare potuit: ideoque voluntarium sibi velut exilium adsciuit, secutus amplissimũ virum Dominicum Capranicũ, qui tum Senis iter faciens ad Basiliense Concilium proficiscebatur. Quò cùm peruenisset, cum Bartholomæo Nouariensi Episcopo Florentiam, vbi Eugenius Pontifex erat, delatus est, & in Nicolai sanctæ Crucis Cardinalis clientelam insinuatus, patris certè optimi, ac omnium opinione sanctissimi. Deinde factus est scriba in Synodo Basiliensi, & literarum Apostolicarum abbreuiator, magnoq; in honore semper apud omnes habitus, et inter Collatores beneficiorum bis electus: in eoque conuentu persæpe orauit, & quoties aliquid per nationes agendum erat, vnus semper ex Italica deligebatur, qui rebus agendis præesset: tanta erat in homine morum facilitas, & ingenij dexteritas. Legationes verò plures Concilij caussa obiuit. orator deinde ad Fridericum Imperatorem à Felice missus, tantùm dexteritate ingenij apud hominem valuit, vt eum corona Poetica donatum in amicos, & Protonotarium receperit, ac tandem in senatorium ordinem retulerit: qui postea ad Eugenium nomine Imperatoris legationem obiuit. Mortuo autem eo tempore Eugenio, dum alter Pontifex in locum demortui suffragijs patrum deligitur, Aeneas conclaui præfuit: nullus enim orator tum in vrbe erat, tanto munere dignior. Intereà moritur Episcopus Tergestinus, in cuius locum Aeneas, se quidem inscio, à Pontifice, & Imperatore suffectus est. Hunc postea Imperator in Italiam iter ingressus præmisit, vt Leonoræ vxori è Lusitania, vel Portugallia ad Hetruscum littus peruenturæ honoris gratia obuiam fieret: quam vni sibi creditam ad Imperatorem, qui tum Senis erat, perduxit, Rhomam deinde tum proficiscens, priuatim & publicè (dum Cæsar Imperij corona donaretur) egit omnia. Imperator præterea ad Alphonsum salutandi hominis caussa iturus,

La-

Ladislaum regium adolescentem, quem Pannonij, & Bohemi furtim à se abducere sæpe tentauerat, Rhomæ sub tutela, & custodia Aeneæ, cui plurimam fidem præstabat, reliquit. Tandem Imperator Rhomam reuersus, cùm gratias Pontifici egisset, in Germaniam proficiscitur, quam vbi attigisset, Aeneam statim ex mandato Pontificis, cum summa potestate oratorem in Bohemiam, & omnes Austriæ ciuitates mittit, ibiq; rebus compositis, haud ita multò pòst ad conuentum Ratisponensem, ac demum ad Francofordiensem ablegat. Posteà mortuo Nicolao Pontifice, Germani ferè permouissent Imperatorem, quo minus Pontificibus amplius obtemperaret, nisi quædam ad pragmaticam tendentia ab ipsis prius impetrassent. Nec certè multum abfuit, quin Imperator tumultuantibus obsequeretur. Quo minus autem id fieret, grauissima Aeneæ autoritas intercessit. Quocirca Imperator, spreta populorũ postulatione, Aeneam oratorem deligit, qui ad Calixtum mitteretur, & Friderici iuramentum Pontifici de more exhiberet: tota eius oratio autem fuit potissimûm de bello Thurcis inferendo: adeò erat ad eam rem animatus. Iussu quoque Pontificis Neapolim ad Alphonsum proficiscitur, quò etiam totius ferme Italiæ Legati de pace acturi conuenerant, & solus impetrauit pacem, ac perpulit regem, copiosissima oratione, ad bellum maritimum Orientalibus inferendum. Inde verò Rhomam abiens iter in patriam facturus, à Calixto Pontifice retentus est, à quo etiam non multò pòst patrum omnium consensu in numerum Cardinalium refertur. Apud Calixtum verò tantæ autoritatis & gratiæ fuit, vt hominem impulerit oratores ad Senenses mittere, qui tum discordia ciuili laborabant, vt populum tumultuantem ad pacem & concordiam adhortarentur. At verò dũ in balneis Viterbianis valetudinis caussa esset, historiamq; Bohemicam inchoasset, mortuo Calixto, Rhomam statim redijt:

P 3 cuius

cuius expectatio tanta fuit, vt magna pars populi Rhomani, officij caussa obuiam progreßa, hominē (quasi diuinarent) vt Pontificem salutant. Ad hunc enim consensu omnium Pontificatus deferebatur. Ingressus itaque conclaue, patrum omnium suffragijs Pontifex maximus creatur. Hinc iam prophetia Anselmi clarè cernitur, quomodo abiectus & spretus Aeneas in aspectum hominum venerit, idq́ praeter expectationem. Deinde quomodo à deitate & Oriente, *id est diuina prouidentia, ab Austriae principe, Friderico Imperatore, multis legationibus & munijs, quae imperatorio nomine obijt, manifestatus sit, & praeter suam opinionem sceptra pontificatus obtinuerit subitò.* Stylus enim in cœlo manifestatus, *id est vniuerso orbi Aeneas tanquam columna & asylum pacis & sanctitatis innotuit.* Praeco inuisibilis, *id est vox Dei,* ter clamauit maximè, *hoc est primò per Calixtum, qui illum consensu omnium Cardinalem declarauit: secundò, mortuo Calixtō, per populum Rhomanū, qui illi ex thermis Rhomam properanti obuiam tanquam Pontifici facti sunt: tertiò, suffragia omnium patrum in conclaui, quibus Pontifex creatus est. Haec omnia* inuisibilis ille praeco *maximo clamore, & quidem properè egit.* maximus clamor *est, Pontificis maximi:* maximus clamor *est, populi Rhomani:* maximus *item* clamor *suffragia omnium patrum.* Festinantem hanc vocationem *fuisse manifestum est, quia à Calixto Cardinalis factus, vixdū Viterbianas thermas ingressus erat, cùm Calixti obitum accepit, & statim Rhomam redijt, quem populus vt Pontificem salutauit: mox conclaue ingreditur, & Pontifex maximus salutatur omnium patrum vnanimi consensu. Quid ergo clamauit ter praeco inuisibilis?* Ite cum festinantia ad Occidentem septicollis, & inuenietis virum habitatorem: *id est virum, quem pontificatu decorare debeatis, oriundus est ab Occiden-*

cidente iuxta ſitum Rhomanum. Senæ autem, ſi Rhomã ſpectes, ad Occidentem poſitæ ſunt. Ite, *ergo inquit, Senas, ite ad thermas ſiue balneas Viterbianas: Hinc vocate amicum meum, &c. Hunc Pontificem appellat* amicum ſuum, *id eſt pium, vnde & re, & nominis Pius fuit: appellat* fortem, *quia magni animi, veluti qui ſe totum, confirmata prius Eccleſiæ ditione, ad curam Reipub. Chriſtianæ conuertit. Nam & bellum ante eius pontificatum in Vmbria exortum, eo Pontifice ſublatum eſt: Aſsiſia & Nuceria ab hoſte recepta. Inter Ferdinandum regem, & Sigiſmundum Malateſtam, quod difficillimũ factu videbatur, compoſitæ induciæ. Media hyeme ab vrbe diſcedit, & per eas ciuitates iter facit, quæ ciuili diſcordia ad bellum potius, quàm ad pacẽ ſpectare videbantur, atq; populos ad concordiam & quietem adhortatur: Mantuã poſtremò vndequaq; ventũ eſt, & in illo celeberrimo conuentu actum, Pio ipſo dicente, vt bellũ communi omniũ decreto Thurcis indiceretur. Nil eſt certè ab eo prætermiſsũ, quod ad mouendos Chriſtianorũ animos pertineret. Magna quidẽ in dicendo Pij laus fuit, quòd cùm ſæpius ijſdem de rebus loqueretur, diuerſa ſemper viſus eſt dicere: tãta erat in homine elegantia et copia. Gallorũ querimonias et calumnias, tribus actionibus acerrimè cõfutauit. Totã Europã, relicto externo bello, ad inteſtinũ animos atq; arma conuertentẽ, ad pacẽ redegit & ſedauit. Neminẽ vnq̃ bello attigit, ad quẽ legatos non prius miſerit, ſi quo modo ad ſanitatẽ rationibus adduci poſset. Minas Gallorũ et pollicitationes facilè cõtempſit. Sigiſmundi Malateſtæ Eccl. Rho. vectigalis furores ac rabiẽ compreſsit. Ac ita grauiſs. bellis liberatus, poſtq̃ et Ferdinandus de Renate triumphaſſet, expeditionẽ Aſiaticam, q̃ in Mantuano cõuentu, regũ ac principũ ambitione, & auaritia fuerat omiſsa, repetit: Regi Bohemiæ de fide Catholica malè ſentienti diẽ dicit. Tantæ inq̃ conſtantiæ et fortitudinis*

fuit,

fuit, vt tota ægritudine, graui quidem & longa, occupationes intelligendi, caußas diuersarum gentium audiendi, inhibendi, decernendi, iudicandi, signandi, admonendi, castigandi intermiserit nunquam. Non reges, non Duces, non populos, non tyrannos, in se, aut Ecclesiasticum quempiam delinquentes, bello, censuris, interdictis, execrationibus persequi prius destitit, quàm eos ad sanitatem rediysse cognouerit. Nil regibus, nil ducibus, nil populis timore & auaritia conceßit vnquam. Quosdam verò seuerißimè arguit, quòd ea peterent, quæ sine Ecclesiæ detrimento, & eius ignominia fieri nullo modo poßent. Tantum terroris dominis quibusdam, Italicis præsertim, iniecit, vt officio & fide nil antiquius ducerent. Vt hostes publicos constanter persecutus est, sic amicos humanißimè & officiosißimè fouit. Fridericum Rhomanorum Imperatorem, Matthiam Scaligerum Hungarorum regem, Ferdinandum Alphonsi filium, Philippum Burgundum, Franciscum Sfortiam, Ludouicum Gonzagam vehementer dilexit. Viuendi rationem ita partiebatur, vt ocij & desidiæ accusari nullo modo posset. Surgebat manè aurora illucescente, et habita ratione valetudinis, ac re Diuina castè & piè facta, ad negocia publica statim egrediebatur. Functus officio, ac per hortos recreandi animi gratia delatus prandebat, mediocri cibo vtebatur, non exquisito & lauto, cibos rarò sibi apparari iußit, quod apponebatur hoc edebat. Vini parcißimus: dilutiq; ac lenis magis quàm austeri amator. Sumpto cibo, dimidium horæ cum domesticis aut fabulabatur, aut disputabat. Cubiculum deinde ingreßus, cùm paululum quieuißet, horis Canonicis de more repetitis, tam diu legebat, aut scribebat, donec ei per munera publica licuißet. Idem faciebat noctu, quod die, post cœnam: Nam & legebat, & dictabat, vsque ad multam noctem in lecto iacens, nec amplius quàm horis quinque aut sex quiescebat. Aspectu seueritatem, facilitate

cilitate

cilitate conditam ostendebat. Circa cultum corporis, neque morosus neque negligens, laboris patiens habebatur. Sitim æquo animo, & famem tolerauit. Habuit morbos familiarissimos tussim, calculum, & podagram. Aditu, etiã dum ægrotaret, facilis erat, verborum parcus, inuitus petita negauit. Pecuniarum quantum collegit, tantum erogauit: quarum neque studiosus, neque aspernator fuit. Dum numerarentur, dum reponerentur, interesse nunquã voluit. Multos, muneribus aulicis, & beneficijs Ecclesiasticis iuuit, literatos dico. Orantes, aut poëmata recitantes, libẽter audiuit: eorumq́; iudicio, qui aliquid sapere viderentur, sua scripta commisit. Mendaces & delatores odio habuit, iram facilè collegit, collectam facillimè repressit. Lacessentibus eum conuicijs, & dictis petulantioribus constanter ignouit, nî Sedi Apostolicæ facta esset iniuria: cuius dignitatem adeò acriter tutatus est semper, vt eius caussa magnorum regum ac principum graues inimicitias frequẽter susceperit. Erga domesticos mira comitate & facilitate vtebatur. Nam quos vel inscitia, vel ignauia deliquisse deprehendisset, paterna charitate admonebat. malè de se opinantes, vel loquentes coërcuit nunquam: liberè enim in libera ciuitate loqui omnes volebat. Querenti, nescio cui, apud se, quòd malè audiret, respondit: De me quoque, qui malè sentiant, si in Campum Floræ proficisceris, multos audies. Rara veste vtebatur, & argento frugali magis, quàm regio. Eius enim voluptas omnis, quando à numere publico vacabat, in lectione & scriptione frequenti reposita erat. Libros plus quàm sapphiros & smaragdos charos habuit, quibus Chrysolitorum magnam copiam inesse dicebat. Mensam autem artificiosam ita contempsit, vt ad fontes, ad nemora, ad loca agrestia delatus, quæ sæpe frequentabat animi caussa, nõ apparatu pontificio, sed humili ac propè rustico sit vsus. Non libenter solus comedebat. Inter cœnandum

de studijs bonarum artium loquebatur, memoriam veterum repetebat: & quid quisq; laudis vel dicendo, vel scribendo consecutus esset, exquisito iudicio ostendebat. Ad virtutem suos frequenter adhortabatur, à vitijs deterrebat, cùm eorum res gestas commemoraret, qui in vita aut rectè, aut perperam egissent. Homo fuit verus, integer, apertus, nil habuit ficti, nil simulati. Christianam autem religionem ita coluit, & obseruauit, vt omnem prorsus hypocrisis suspicionem à se remoueret, frequenter confitebatur, & communicabat. Rem diuinam aut ipse faciebat, aut dum fieret, obseruatis de more ceremonijs omnibus, astabat. Somnia, portenta, prodigia, contempsit semper. Fulgura procurauit nunquam. Geomantibus, & cæteris id genus, nullam fidem adhibuit, timiditatis & inconstantiæ signum nullum in homine cognitum. Extolli secundis rebus, & perturbari aduersis nunquam visus est, suos plerunque vt timidos & formidolosos reprehendit, quòd acceptas clades (vt in bello contingit) apertè ei denunciare vererentur. Incommodis enim consilio, & manu mederi posse dicebat, si id tempus, quod accidisset, scitum foret. Socios belli, vel magnitudine impensæ, vel hostium potentia perterritus deseruit nunquam. Bella suscepit, inuitus tamen, & multis, & maximis iniurijs lacessitus, pro tutela Ecclesiæ, pro defensione religionis. Eo die, quo è vita migrauit, duas horas ante extremum vitæ spacium patres Cardinales ad se vocatos, constanti animo, & voce non inconcinna, ad concordiam in eligendo nouo pontifice adhortatus est, quibus item honorem summi Dei, dignitatem Ecclesiæ Rhomanæ, bellum à se in Thurcos susceptum, salutem animæ suæ, familiam omnem, nepotes verò maximè, si commendatione dignos se præstiterint, constanti ac graui oratione commendauit. Petijt sponte sacramenta omnia, & signa

gna

gna integerrimi Christiani omnibus in rebus præ se tulit. Præterea vero acerrime tum quidem disputauit, cum Laurentio Rouerella Episcopo Ferrariensi, theologo doctissimo, Liceretne extremam vnctionem iterare, qua semel inunctus fuerat, dum Basileæ pestilentia grauissime ægrotaret. Orationes Canonicas, vt intermitteret in tanta animi anxietate, neque domesticorum quidem precibus exorari potuit. Symbolum Athanasij constanter pronunciauit: & pronunciatum verissimum ac sanctissimum esse dixit: non mortem exhorruit, non perturbationis, aut inconstantiæ, dum supremum spiritum efflaret, signum aliquot edidit. Extinctus profectò magis, quàm mortuus, dici potest. Affirmant polinctores, viuacissimum cor in homine inuentum. Mortuus est Anconæ anno sexagesimoquarto supra quadringentos & mille, decimoseptimo Calendas Septembris horam circiter tertiam noctis, anno pontificatus sui sexto, diebus sex minus. Hinc iam abundè satis constat, quod de hoc pontifice optimo prædixit Anselmus, idque ex Rabano, illum pium fuisse, fortem, iustum, mansuetum, & mitem, atque prudentem, veluti qui præterita diligenter recognosceret, præsentia sedulò pensaret, & futura pernicitate quadam diuini ingenij prospiceret. Verè ergo in hoc pontifice septicollis, id est Rhoma, habuit imperium, & bonam intentionem, atque charitas abundauit. Idcirco etiam depingitur hic papa, coronam suam, à capite suo deponens, eamque sibi commissis ouibus dans & impertiens. Vtinam non tam pontifices, quam vniuersus clerus, hunc optimum, maximum pontificem, & patrem vniuersæ Ecclesiæ, id quod noster optimus maximus pontifex Pius quintus sedulò facit, imitentur, & eius vestigia insequantur, nihil quicquam dubitarem, quin Ecclesiæ simul cum ordine rediret pristina tum dignitas, tū tranquillitas, ad omnipotentis Dei gloriā, & accederet

ei labascenti, quod accesſit naſcenti, videlicet timor principibus, qui ſic Rempub. adminiſtrarent, tanquam breui regi regum de ſingulis rationem reddituri: prophetiæ donum paſtoribus, charitas triplex, quam dominus à Petro ſtipulatus eſt, ouium curam illi demandaturus: hanc certè in optimo hoc pontifice perſpicuè cernimus: Sacerdotibus ſobrietatis & caſtitatis amor: populo bona voluntas obtemperandi præceptis diuinis, ac promptitudo obſequendi ijs, per quos iuxta ſuum animum Deus voluit res humanus adminiſtrari. Quis det viuere vt id videre contingat? O ſi viderem in vita mea, Eccleſiam Dei talibus innixam columnis. O ſi domini mei ſpōſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati. Quid me beatius quidue ſecurius? cùm eiuſmodi circa me vitæ meæ & cuſtodes ſpectarem ſimul & teſtes: quibus omnia mea ſecreta ſecurè committerem, communicarem conſilia: quibus me totum refunderem, tāquam alteri mihi. Qui ſi vellem aliquatenus deuiare, non ſinerent, frenarent præcipitem, dormitantem ſuſcitarent: quorum me reuerentia & libertas extollentem reprimeret, & excedentem corrigeret, quorum me conſtantia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem: quorum me fides & ſanctitas, ad quæq; ſancta, ad quæque honeſta, ad quæq; amabilia, & bonæ famæ prouocaret. Vt autem ex plurimis huius optimi pontificis ſcriptis, in multos libros multaque volumina digeſtis, ſaltem aliquem guſtum illius candoris & pietatis habeas, ex ſententijs, quas in prouerbij modum reliquit multas, partem aliquam, quòd ad inſtitutionē humanæ vitæ pertinere viſæ ſunt (quam ob rem & nos hunc laborem ſuſcepimus) ſubiungere inſtitui.

Diuinam naturam credendo melius, quàm diſputando intelligi, ac comprehendi poſſe dicebat.

Omnem ſectam autoritate firmatam humana ratione carere.

Chri-

Christianam fidem, etiamsi miraculis non esset approbata, honestate sua recipi debuisse.

Vnius diuinitatis tris esse personas, non qua ratione probetur, sed à quo dicatur, animaduertendum.

Mortales mẽsores cœli & terræ, audaces magis videri, quàm veros.

Siderum inuestigare cursus, pulchrius esse, quàm vtile.

Amicos Dei & hac, & futura perfrui vita.

Sine virtute nulli solidum esse gaudium.

Neq; auarum pecunia, neq; doctum cognitione rerum vnquã repleri.

Cui plura nosse datum est, eum maiora sequi dubia.

Plebeis argenti, nobilibus auri, principibus gemmarum loco, literas esse debere.

Bonas medicos non pecuniam, sed bonam valetudinem ægroti quærere.

Artificiosam orationem stultos, non sapientes flectere.

Sanctas esse leges, quæ vaganti frena licentiæ imponunt.

In plebem vim habere leges, in potentes mutas.

Res grauiores armis, non legibus diffiniri.

Vrbanus suam domum ciuitati, ciuitatem regioni, regionem mundo, mundum Deo subijcit.

Lubricum esse primum apud reges locum.

Vt in mare flumina omnia, sic vitia in magnas aulas fluere.

Assentatores maximè, quò volunt, reges ducere.

Nulli magis principes aures, quàm delatori præstare.

Pessimam regibus pestem adulatoris linguam.

Regem, qui nulli fidit inutilem esse: nec meliorem, qui omnibus credit.

Qui multos regit, à multis regatur oportet.

Non esse regio nomine dignum, qui suis commodis publica metitur: neq; qui sacra neglegit, Ecclesiæ prouẽtum: neq; regem qui iuri dicundo non aßidet, vectigalia digna petere.

Litigatores, aues: forum, areã: iudicem, rete: patronos, aucupes dicebat.

Dignitatibus viros dandos, non dignitates hominibus.

Magistratus alios mereri & habere: alios habere & non mereri.

Graue pontificis onus, sed beatum ei qui benè fert.

Indoctum Episcopum asino comparandum.

Corpora malos medicos, animas imperitos sacerdotes occidere.

Vagum Monachum Diaboli mancipium esse.

Virtutes Clerum ditaße, vitia pauperem facere.

Sacerdotibus magna ratione sublatas nuptias, maiori restituendas videri.

Fideli amico nullum thesaurum anteferendum.

Vitam amico, inuidiam morti comparandam.

Hostem in se nutrire, qui nimis filio ignoscit.

Nulla in re auarum placere hominibus, nisi in morte.

Vitia hominum liberalitate obtegi, nudari auaritia.

Mentiri seruile vitium eße.

Vini vsum & labores, & morbos auxisse mortalibus.

Vinum quod mentem excitet, non quod obruat sumendum.

Libidinem ætatem omnem fœdare, senectutem extinguere.

Quietam vitam non aurum ipsum, non gemmas præbere.

Dulce bonis, durum iniquis, mori.

Generosam mortem turpi vitæ, omnium philosophorum sententia, anteferendam.

Hæc & similia multa prouerbia Pius secũdus solebat in medium proferre. Valeat ergo Chimæra pseudomagi.

VATICINIVM XXVIII.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Præuaricatio concordia erit.

Ecce iterum homo de primo genere abſcondito intrans, ſimul nudus venit de petra tenebroſa, & ſecundus ſplendentem incipit vitam, imago ſecũdæ vitæ: veriſsimè tantùm ſolidè ſolidus duplicatorum annorum introibit mortuus petram.

PAV-

PAVLVS SCALIGER.

Describitur hic Paulus secundus, Petrus Barbo antea vocatus, patria Venetus, pontifex creatus prid. Calend. Septembris 1464. quem Anselmus dicit esse de primo genere abscondito. *Eugenij enim pontificis ex sorore nepos erat: Hic* nudus venit de petra tenebrosa, *id est de vrbe Veneta, quæ tenebrosa est, partim propter aquas, partim propter mercaturam, partim propter tyrannidem, quibus rebus candor petræ Petri, atque etiam imperij obscuratur, tum quod diuites difficilè regnum Dei apprehendant, tum quòd omnia rapinis, dolis, fraude, & tyrannide Veneti, eiectis & pulsis veris dominis, & hæredibus, ac Imperij principibus, cõtra Dei & Ecclesiæ doctrinam, naturæq; & legum omnium constitutiones, possideant: quocirca Venetiæ meritò dicuntur tenebræ, & Ecclesiæ & Imperij. De vrbe ergo Veneta, ex mercatura, prorsus indoctus, venit iste Paulus. Adolescens enim adhuc iturus in mercaturam erat, & iam scrinium & arma in triremes detulerat, cùm ei nunciatum est, Gabrielem Condelmarium, auunculum suum pontificẽ creatũ esse. Substitit itaq; adhortantib. amicis, & Paulo Barbo maiore natu, ac literis licet iam adultus esset, operam dedit: nec tamẽ ob ætatem admodũ profecit: qui quoniã potius quietem, quàm negocia appetebat, opera fratris Pauli, apud Eugenium sollicitantis, Petrus ab Eugenio auũculo vocatus, Archidiaconus Bononiensis, ac nõ ita multò pòst Episcopus Ceruiæ, & Protonotarius creatus est. Quibus facultatibus aliquot annis vitã ducens, tandem Cardinalis creatur, instantibus quibusdã Eugenij familiaribus. Ita ergo* nudus *bonis artib. & virtutibus,* de petra tenebrosa *accitus fuit, & tandẽ successit Pio secundo & ipse sibi Pauli secũdi nomẽ deligẽs,*

licet

licet dissimilis moribus, splendentem vitam agere cœpit, imaginem saltem secundæ vitæ, *id est Pÿ secundi, non rem retinens. Nam statim vbi magistratum inÿt, siue quòd ita pollicitus erat, cùm permutare Episcopatum Vincentinum in Patauinum, obstante Pio non potuerit, siue quòd Pÿ decreta & acta oderat, abbreuiatores omnes, quos Pius in ordinem redegerat, tanquam inutiles & indoctos (vt ipse dicebat) exautorauit, & bonis atque dignitate, indicta caussa, spoliauit: quos etiã propter eruditionem, & doctrinam ex toto orbe terrarum conquisitos, magnis pollicitationibus, & præmÿs vocare ad se debuerat. Si quis illorum prouocabat ad publicos iudices (quos Rotæ auditores vocant) hunc ille toruis oculis aspiciens, Ita nos, inquit, ad iudices reuocas? ac si nescires omnia iura in scrinio pectoris nostri collocata esse? sic stat sententia, inquit: loco cedant omnes, eant quò volunt, nihil eos moror, Pontifex sum, mihiq́ licet pro arbitrio animi aliorum acta & rescindere, & approbare. Hic præterea nihil nisi noctu agebat. Multos innocentes in exilium egit, multos carceribus mancipauit, quæstionibus subiecit: multos etiã Canonicos viros pios suis Canonicatibus se abdicare impulit: licet quidam eius minas contemnentes, tempus vindicaudæ libertatis expectarint: quod posteà eo mortuo eluxit. Scarampos magnis facultatibus spoliauit. Auersanos comites oppressit, & nouem castellis exuit. Frigidas caussas prætendebat quibus iniurias inferret. Nam & eos pro hæreticis habebat, qui nomen Academiæ vel seriò, vel ioco commemorarent. Omnia ferè dolo et insidÿs aduersus omnes agebat. Ideo inquit Anselmus,* præuaricatio concordia erit. *Vnde abundè patet Paulum secundum, neque Eugenÿ auunculi, neq; Pÿ secundi mores, quin potius imaginẽ quandam nudam pontificatus retinuisse.* Vitam splendentem *illũ duxisse historia testatur. Erat enim magni ac vasti corporis, adeò, vt,*

R

eò, vt, dum ad rem diuinam proficisceretur, solus emineret. Fuere qui dicerent eum, cùm in publicum prodiret, faciem sibi fucis concinnare. De apparatu Pontificio, non est cur ambigas, maiores ab hoc vno superatos, regno præsertim, siue mitram velis appellare, in quam multas opes contulit, coemptis vndiq;, ac magnis precijs, adamãtibus, sapphiris, smaragdis, chrysolitis, iaspidibus, vnionibus, & quicquid gemmarum in precio est, quibus ornatus tanquam alter Aaron in publicũ forma humana augustiore prodibat. Inspici tum ab omnibus volebat & admirari. Hanc ob rem nonnunquam peregrinos in vrbe retinuit, intermissa ostendendi sudarij consuetudine, quò à pluribus eodem tempore cerneretur. Prætereà verò ne solus à cæteris differre videretur, publico decreto mandauit proposita pœna, ne quispiã bireta coccinea (ita appellant capitis tegmen) præter Cardinales ferret: quibus etiã primo pontificatus sui anno pannum eiusdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas sternerent, dum equitant. Voluit præterea in decretum referre, vt galeri Cardinalium ex serico coccineo fierent: sed id quo minus decerneretur, vetuere illi, qui benè sentientes, diminuendam esse Ecclesiæ pompam, non augendã cum detrimento Christianæ religionis, prædicabant. In pecunijs colligendis ita diligens fuit, vt ferè semper Beneficia, & Episcopatus his cõmitteret, qui officiũ aliquod venale haberent, vnde elici munus posset. Omnia enim officia tempore suo venalia erant, quamobrẽ factum est, vt qui Episcopatũ, aut beneficium vellet, officiũ aliquod emeret, quo lenocinio, quod vellet, consequeretur, superatis competitoribus omnibus doctrina et probitate vitæ quouis magistratu et honore dignis. Prætereà verò cùm Episcopatus vacaret, quo plures annatæ eodem tempore soluerentur, digniores (vt ipse prædicabat) ad vberiores Episcopatus mouens, magnã pecuniarum vim vndiq; colligebat. Redimendarũ quoq; pensionũ vsum nõ improba-

probauit. His aũt pecunijs interdũ etiam ad liberalitatem vtebatur. Nã & Cardinales, pauperes maximè, & Episcopos, et principes ac nobiles domo extorres, virgines & viduas: ægrotos frequenter iuuabat. Curauit item, vt Rhomæ annona, cæteraq; ad victum pertinentia vilius, quàm antea venderentur. Fecit etiã, vt Matthias Scaliger, rex Hungariæ, et stirpẽ Georgij Bohemi funditus sustulerit, & nomen hæreticorum fuerit deleturus, nì Poloni id regnũ ad se pertinere dicentes Matthiã tenuissent bello laceßitum, quo minus regno Bohemiæ potiretur. Aedificauit etiã Paulus splendidè ac magnificè tum apud S. Marcũ, tum verò in Vaticano, quod ad munificentiã pertinet. Venationẽ quoq; miro apparatu edidit Duci Ferrariensi in campo Merulæ. Adire hominem die dormientẽ, ac noctu vigilantẽ, attrectantemq; gemmas, & margaritas difficile erat, nec nisi post multas vigilias: quod si tibi patuissent fores, audire hominẽ, non audiri ab homine necesse erat. Sæpè quod promiserat, mutata sententia, inuertebat. Amicitias principũ ac populorũ non diu seruauit, quòd variarum partiũ haberetur. Varia cibi genera sibi apponi volebat, & peiora quæq; semper degustabat. Clamabat interdũ, nisi quæ expetebat ex sententia ei apposita fuissent. Bibacißimus quidem erat, sed vina parua admodum & diluta bibebat. Peponum esu, cancrorum, pastillorũ, piscium, succidiæ admodum delectabatur. Quibus ex rebus creditũ est ortam apoplexiam illã, qua è vita solus in cubiculo, nemine vidente, secũda hora noctis, cùm eo die lætus etiam consistoriũ habuisset, sublatus est, pont. sui anno sexto, mense 15. Kal. August. 1471. Nã duos pepones et quidẽ prægrandes comederat eo die, quo sequẽti nocte mortuus est. Iustus tamen est habitus, et clemẽs. Plerosq; aũt latrones pœna carceris ad sanitatẽ redigere conatus est: fures, parricidas, perfidos, piuros. Humanitatis aũt studia ita oderat, et cõtemnebat, vt eius studiosos

vno nomine hæreticos appellaret. Hanc ob rem Rhomanos adhortabatur, ne filios diutius in studijs literarum versari paterentur, satis esse si legere & scribere didicissent. Durus interdum, et inexorabilis, si quid ab eo peteres, habebatur: neque hoc contentus, conuicia & probra in te conijciebat: plura tamen præstabat quàm vultu præ se ferret. Vno postremò tamen laudari potest, quòd domi monstra non aluerit, quodq́ domesticos suos & familiares in officio continuerit, ne ob fastum, & insolentiam populo Rhomano, & aulicis stomachũ facerent. Ita satis apparet quantùm mutatus fuerit à suo prædecessore Pio secundo, & auunculo Eugenio, quorum non nisi fictam quandam imaginem, & splendorem externum vitæ præ se tulit. Idcirco inquit Anselmus, verissimè tantùm solidè solidus duplicatorum annorum introibit mortuus petram, *id est, putabat ad senectutẽ vsq; se vitã perducturũ: Cæterùm falsus opinione, cùm iam firmasset pontificatum, et omnia integra pro voto composuisset,* duplicatorum annorum petram introiuit, *hoc est sex annis elapsis mortuus sepultusq́ est. Solidum namque dicitur quod tres dimensiones habet: Hic autem dimensio pro anno accipitur. Tria igitur duplicata, efficiunt sex: sexto etenim anno, mense decimo sui pontificatus è viuis excessit, vt dictum est. Imaginis proinde sensus est, Angelum astare Pontifici, coronam capitis illius ad se inclinatam primis digitis tangere, ex quo tactu attonitus, subitò manus ad Deum tendens concidit, id est apoplecticus moritur: quod vel apoplexiæ etymon secum adfert: addit hîc quædam ex Rabano Theolosphorus minus apta. Valeat ergo Pseudomagus cum sua chimærica electione.*

VATI-

VATICINIVM XXIX.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Bona occasio viuentium, sacra cessabunt.

Accipe Cidarim mundam tibi commissam, & superinduere nouis vestimentis senex sensu, sacerdos Dei magne, ne pigriteris, sed recipias: potentissimè pensa de fine, & ad bonum dirige sceptrigeram, alia quidem non metuens. Tempus enim desuper istud recepisti, so-

lùm tribus auroris circumdati anni, & vndenario stellarum completum: vni tandem fini sacratum, quod admiraris, reliquisti: placidè placasti altercationem, sequere vocationem: ad præsentem gloriam benè venisti. Dixit autem principijs, Benè comple vniuersam culturam, & habitationes cœlestes ambula. Cœlesti enim inest principium bonorum & finis.

PAVLVS SCALIGER.

Hoc vaticinium ad Sixtum quartum, Franciscum à Ruere antè dictum, genere Ligurem, vrbe Sauona oriundum, ordinis fratrum Minorum ministrum accuratissimum, spectat. Hic vir certè non minus arte, quàm ingenio clarus fuit, politioribus literis apprimè à teneris annis imbutus, labore incredibili ad diuinarum humanarumq; artium apicem conscendit, vt omnes Italos literis lacessere, & vincere facilè potuerit, quod facilè produnt ex eius scrinio chartaceo nonnulla eius opera, nō minùs concinnè, quàm eleganter scripta: quæ iam in lucem prodierunt: scilicet, De potentia Dei, De sanguine Christi, De conceptione beatæ Mariæ, & aliorum innumera propè supellex, fortasse puluerulento situ squalida iacent. Et vt ante pontificatū adeptum, clemens, pius, & in omnes mansuetus extitit, ita magistratu pontificio insignitus, omni virtute cœpit cæteros præcellere: ad vitia testudineus: ad virtutis & bonarum artium studia equis velisq; ocyus anhelabat. In pauperes pius, in religiosos munificus, & ad ius cuique reddendum vigilantissimus erat. Principes clade militari patria extorres & proprio regno pulsos, præsertim Palæologorū liberos, ex quibus Magdalenam Thomæ Palæologi filiā, ac neptem Constantini vltimi Græcorum Imperatoris, Matthia

rege

rege procurante, *Bonifacio filio Nicolai Scaligeri, cuius suprà mentio facta est in Eugenio quarto, elocauit: & Bosnæ reginam Stephani Scaligeri regis vxorem, Magdalenam Lazari Despotæ Seruiæ filiam et hæredem (Stephanus enim à Mahomete excoriatus fuerat anno Domini 1464. & regno exutus) aliosq́ cōplures à Thurco infestatos summa opera iuuare curauit. Vrbem Rhomam cœnosam, & strati penè expertem, cariosa vetustate desolatam, nec non debilioribus fulcris nutantem, eiusq́ templa, omni ope instaurare sategit, nec non omnia eius compita cultissimè strauit, & varijs beneficijs sibi Rhomam adeò astrinxit, vt non iniuria ipsius alter Rhomæ conditor vocandus sit. A quarto sui pontificatus anno Iubileū per totum Christianitatis orbem honorificè celebrauit, vt quàm diu vitia delituerant recondita, statim corde contrito confessa Christi fidelibus abluerentur. Et licet hic multos habuerit detractores (id quod viris sanctis propriū est) optimus tamen Pōtifex fuit. Summa enim alacritate & animarum custos extitit, & cupiditatem à se resecauit, & iras compreßit, & malitias extirpauit. Quocirca inquit Anselmus,* Accipe cidarim mundam, *id est pontificium capitis insigne tuæ fidei cōmissum:* & super induere nouis vestimentis senex sensu, *id est sapientia & potestate noua atque diuina. Hoc onus* sacerdos magne Dei, ne recuses, sed recipias *animo prōpto atq; hilari: & in potestate constitutus* pensa, *id est age* de fine, *hoc est inter Italiæ principatus, compositis rebus, tam immanem tumultum seda, eiusq́ furori finem impone*, Et ad bonū dirige sceptrigeram, *id est regnum Apuliæ:* alia quidem non metuens. *Nihil enim Italiæ magis exitio fuit, quàm contentiones et bella, quæ suscepta erant pro regno Apuliæ. Spacium autē huius pensitationis datur Rhomanis pontificibus tempus, quod* tribus auroris annuæ reuolutionis, *id est tribus Imperatoribus,*

Fri-

Friderico, Maximiliano & Carolo quinto, atque stellis completis vndecim tantùm, *id est vndecim Pontificibus duntaxat, constat. videlicet Sixto quarto, qui diem suum obijt* 1483. *Innocentio octauo, qui mortuus est* 1492. *Alexandro sexto, sub cuius pontificatu natus est Michael filius Bonifacij Scaligeri pater meus, anno Domini* 1498. *in festo Margarethæ: decessit autem Alexander* 1503. *Pio, Pij secundi nepote, qui fatis concessit sui pontif. die* 16. *Iulio secundo, qui vitã morte commutauit* 1513. *Huius pontif. anno tertio, hoc est* 1506. *Albertus Dux Bauariæ, & Rupertus Dux & comes Palatinus, Monachio per literas, in festo Pentecostes exaratas, apud Sigismundum Franciscum Ducem Beneuenti, & principem Virouiticæ in Croatia, Michaelis Scaligeri tutorẽ, intercedunt pro Scaligeris in Bauaria existentibus, quò illorum testamentaria ratio habeatur, si Michaelem sine hærede contingat mori: quòd illos Bonifacius Michaelis pater neglexisset, & omnia in Benedictum fratrem & quosdam alios trãstulisset. Leone decimo, qui excessit è viuis* 1522. *sub quo à Vladislao Hungariæ rege vocatur Michael Scaliger, ad comitia Hungarica Budam &c. vt suo loco videre est, anno* 1514. *&* 1515. *Hadriano sexto, qui vitam cum morte permutauit* 1524. *Clemente septimo, qui è vinculis corporis euolauit* 1533. *Ad hunc Clementem anno pontif. illius primo, id est* 1525. *ablegatus fuit à Michaele Scaligero Valentinus Scaliger Dominus Nemesgiangæ: qui etiam Mantua in festo Paschæ Michaeli rescripsit: Itẽ anno* 1527. *Ioannes Scaliger Dominus Nemesgiangæ ad nuptias Michaelis Scaligeri quosdam principes inuitatum, ex quorũ numero Dux Beneuenti, Mantuæ princeps, Carlouich &c. fuere, missus erat. Paulo tertio, qui mortem obijt* 1549. *sub quo ego Paulus, Michaelis Scaligeri, ex Catharina Sigismundi Francisci Ducis Beneuenti & principis Virouiticæ filia, atq; nepte Ferdinandi regis*

di regis Apuliæ, filius, anno 1534. *in festo trium Regũ natus sum: & Ioannes Christophorus Scaliger Bauarus ad Michaelem patrem decimo septimo Ianuarij literas dedit, referens quid apud Cæsarem in caussa illius effecerit: & Laurentius Ripach Secretarius, regis Ferdinandi postea Cæsaris nomine, Catharinæ, Michaelis Scaligeri consorti viduæ matri meæ anno* 1537. *in festo Michaelis Viennæ, idq́ue in conspectu regio, tanquam interpres retulit, maiestatem suam benignè petitam tutelam mei & sororis meæ Vrsulæ suscepisse. Iulio tertio, qui animam Deo reddidit anno* 1555. *quo anno Ferdinandus rex tandem Cæsar gloriosissimus, prima Martij ex certa scientia & animo benè deliberato, mihi Paulo & patruelibus meis priuilegia Scaligerorum, id est Belæ regis donationem, quo ad omnes illius clausulas & articulos, in publicis Comitijs Augustæ Vindelicorũ, confirmauit. Marcello secundo, qui non superuixit pontif. sui diem vigesimum. Porrò Paulus quartus, qui animã exhalauit* 1559. *quis fuerit omnes norunt: & itidem quis Pius quartus, qui fato functus est* 1565. *nemo ignorat. Hodie Pius quintus felicissimus Ecclesiæ Pontifex viuat ad multos annos, qui verè pius est, & Catholicus. Cæterùm sub Carolo quinto tertiæ auroræ Imperatore quantas calamitates Rhoma & Italia ob regnum Apuliæ passa sit, nemo non nouit. Itaque inquit* vni fini sacratum quod admiraris reliquisti, *id est cùm hoc tempus transactum fuerit, tum scias sacratorum, qui apud te in precio sunt, profanationẽ adfuturam. Neq; falsus est Anselmus. Nam sub imperio Caroli quinti variæ hæreses & contentiones subortæ sunt. Hæreses autem, quarum princeps Lutherus, omnia sacrata, & sanctorum Martyrum reliquias, & sanctos, & præsules, & vniuersum Clerum, et ceremonias Ecclesiæ, & venerabile atque tremendum sacrificium, & quicquid in Ecclesia sacratum admiramur, euerterunt: quin, ne*

ſacrati quidem ſacratorum ratione habita, in ſacratos deſæuire omiſerunt: quod Caraphæ hiſtoria, illo ipſo tempore, de quo hîc Anſelmus agit, manifeſtè docet: miſerè enim Cardinalis exiſtens iuſſu Pontificis Pij quarti, qui duodecimus conſecratus, & decimus tertius electus à Sixto numeratur, exactis illis vndecim, vt ſuperiori vaticinio dictum eſt, laqueo è medio ſublatus, ſpiritum exhalauit magno Catholicorum ſcandalo, & hæreticorum iubilo: vnde haud poſtrema his acceſsit calumniandi Rhomanam Eccleſiam, anſa & occaſio. Poterant autem delicta illius aliter expiari. Adijcit Anſelmus, Placidè placaſti altercationem, *id eſt tumultus Italicos compoſuiſti. Ideo inquit,* Sequere vocationem: ad præſentem gloriam benè veniſti. *Annos enim tredecim & vocationi incubuit, & piè pontificatum geſsit, tandem* principijs illius, *id eſt auſpicijs* dixit, Comple omnem culturam, *id eſt fac Pontifex officium* & peruadas cœleſtes habitationes, *ſcilicet fines terræ verbo Dei inſtaura.* Cœleſti enim ineſt principium bonorum & finis, *Quaſi diceret, Qui ita complet, & conſummat curſum ſuum, ille repoſitam gloriæ coronam, cui & principium & finis omnium bonorum ineſt, in cœlis cum ſanctis & electis Dei, quam omnibus legitimè in hac vita decertantibus Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti promiſit, certò accipiet. Hic textus apud Theoloſphorum de Cuſentia ita habetur, lib. De magnis tribulationibus & ſtatu Eccleſiæ, folio vigeſimo primo.* Tempus etenim deſuper iſtud redemiſti, ſolùm tribus auroris, circundati anni, vndenario ſtellæ completo, bono fine ſacratus. Quid admiraris? Reliquiſti placidè vanitatem, planta nunc habitationem, ſequere vocantem ad præſentem gloriam. Benè finiſti diem in principijs. Bono fine comple vniuerſam culturam, & habitationes ambula cœleſtes.

Et-

Etenim in te principium bonorum & finis, id est vt sceptriferam dirigas impetrasti tempus triginta sex mensium, felici omine, & in bonum finem Pontifex inauguratus: non est ergo quod mireris. Agè, iam antea monachum agens, huius seculi vanitatibus valedixisti: instaura nunc templum Rhomanũ, & vocationi obtempera, atque sicut principium monachatus benè iecisti, ita in pontificatu exequere officium tuum, & ea, quæ cœlestia sunt, spectato. sic fiet, vt ad tuam vocationem omne bonum referatur ex eaque principium & finis bonorum in Ecclesia militanti dependeat. *Idem Theolosphorus ibidem fol. vigesimo sexto hoc ipsum vaticinium recitat variatum inquiens*, Respice donum ne prigriteris senex sensu: sed recipias potentissimè, pensa de fine: ad bonum dirige sceptrigeram, alia quidem non metues: tempus etenim desuper istud redemisti: solùm tribus auroris circumdantur anni: vno denario stellas comple: benè fini, sacramentum quod amittis admiratione recipis: reliquisti placidè planctam à luctatione. sequere vocantem ad præsentem gloriam. Benè fuisti diem in principijs: bono fine comple vniuersam creaturam (vel culturam) & habitationes ambula cœlestes. In te enim principium bonorum & finis. *Hæc varietas arguit Theolosphori hallucinationem. Itaque iuxta symbolicam scientiam textus à nobis recitatus, cuius olim copiam ab optimo Cæsare Ferdinando, ex peruetusto manu scripto exemplari habuimus, veritati per omnia optimè conuenit. Iam vtrinque patet, quid Anselmus innuere voluerit per bonam occasionem viuentium, quidúe per sacrorum cessationem.* Bonam occasionem, viuentes habent, *id est magnam*

commoditatem ad vitam æternam, si cœlestia sectentur: magnā item occasionem ad mortem, si terrestria amplectuntur, & despiciant cœlestia, vnde profanatio & cessatio sacrorum nascitur. Neque enim hodie propter alias caussas sacra profanantur, id est Clerus, Ecclesiasticæ ceremoniæ, sacramēta, et maximè tremendum illud sacrificium, quàm propter facultates istas terrenas. Omnes malunt delicatè ex bonis Ecclesiæ, scilicet eleemosynis pauperum, & peccatis populorum viuere, terrestria occupare, quàm ad vitam Angelicam, et cœlestem patriam anhelare. Pauci sanè hodie Ecclesiastici inuenirentur, si patrimonium Petri nō faceret, Quod cùm opulentum sit, bonam occasionem ex illis viuendi habent ij, qui illo potiuntur. Et propter hanc ipsam occasionem fit, vt principes huius seculi affectent Episcopatus & principatus Ecclesiæ, & sacrorum immemores, sacra negligant, ne dicam spernant. Quotus quisque est hodie, etiam ex Catholicis, qui syncerè & ex animo aut faciat, aut audiat sacra? omnes Ecclesiastici ferè, malunt hodie militiam, aut mercaturam, & id genus alia incitamenta malorum sequi, quàm Ecclesiam. Piget vnam horulam pietati incumbere, & officio diuino insumere: nō piget continuos menses, ne dicam annos, dies noctesq́ꝫ poculis, aleis, scortis, canibus, venationibus, et similibus rebus magna cum alacritate & hilaritate transigere. Hæc res facit, vt delicatè viuentes sacra non tam negligamus, quàm etiam ab illis abhorreamus. Quo fit, vt non modò hæresibus, sed multò magis nostræ ignauiæ, secordiæ, & impietati adscribamus, quòd sacra hodie cessarint. Propterea etiam aufert Deus bonos Pontifices ex oculis nostris: peccata enim nostra merentur, vt non bonum, sed hypocritam habeamus Pontificem, regem, magistratum. Quia cùm cognouissemus Deum, non sicut Deum glorificauimus, aut gratias egimus, sed euanuimus in nostro luxu, crapula, & prauitate,

te, abutentes donis diuinis ad nostram libidinem. Idcirco obscuratum est insipiens cor nostrum, vt indigni simus vllo pio & iusto magistratu. Quod si aliquando nobis Deus optimos magistratus donat: id certè non nostris meritis, sed sua infinita misericordia, qua ouibus palantibus, & erroribus turbulentis implicitis vltrò succurrit. Iam ergo sensus imaginis hic est, quòd propter negligentiam, & contemptũ sacrorum, atq; ingluuiem nostram, moresque perditos, & deprauatam atque impiam vitam Angeli, iussu summi Dei, bonum Pontificem & magistratum, cidari antea ornatum, tandem verò expansa & explicita, ex perditorum hominum cœtu in cœlestem patriam, subuehant. Valeat igitur Pseudomagus impostor cum sua noua missa.



VATICINIVM VLTIMVM.



ANSELMVS EPISCOPVS.

Bona vita.

Inuenisti vitam ab ingloriatione, à virtute accepisti plus quàm à fortuna: sed nequaquã virtuosam lucraberis gratiam. Inuidia enim contingens iudicia tibi nocentia inducet, vt priueris à sole desuper (*Refert Theo-*

losopho-

losphorus, Inuidi enim contingētes iudicia tibi recentia, non priuaberis à ſorte deſuper. *Verùm Cæſaris exemplar cenſeo imitandum)* Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij, dilaceratione plena, non recedat à te rapina, vox flagelli, vox impetus, rotæ, & equi frementis.

Reuerentia & deuotio augmētabuntur. cor eius ab habitatione commutabitur. cor feræ datur ei, & ſeptem tempora mutabuntur, ſuper eum.

PAVLVS SCALIGER.

Depingitur hoc vaticinio Innocentius octauus, Ioannes Baptiſta antea dictus, patria Genuenſis, ex mediocri genere, honorato tamen, patre Aaron viro ſanè probo ortus, cùm virtutis atq; diſciplinarum omnium ſpecimen foret, Cardinaliū auſpicijs, Sixto è medio ſublato, ſummus Pontifex creatus anno Chriſti 1484. *Idib. Auguſti. Propterea ait Anſelmus*, Inueniſti ab igloriatione, *id eſt ex non glorioſo ſtemmate, ſed virtute magis quā fortuna, ad faſtigium pontificatus conſcendiſti. Affabilis enim erat, manſuetus, eloquio facundus & comis: quem maturus inceſſus, morum non moroſa grauitas, nec non gemina indoles exornabant. Perſpicacis ingenij fuit, vt altiora rimanti faciliter innoteſcerent. nec defuit illi verborum lepos, non iniucundus, multis ſalibus cultus cùm tempeſtiuum erat. Pacem Chriſtianis principibus commendans, eos, abiectis mutuis odijs, fœdus percutere hortabatur, ne Thurcorum inſidias molientum viribus Chriſtianitas detrimentum ſubiret. Non iniuria igitur Innocentius dictus eſt, cùm vitæ innocentia, manſueta indole clariùs,*

non

non iracundus, inexorabilis, aut morosus, inter cæteros veluti sydus emicuerit. Et cùm consideratius consilio maturo animaduerteret pro Ecclesiæ dignitate, & subditorum tutela, ea armis quærenda esse, quæ raptu, aut temerarijs aliorum Pontificū donis ablata fuerant, dicebat arma sumenda non propter victoriā aut gloriam, sed vt pax inde sequatur. Singulos principum Christianorum oratores, cùm in sui Pontificatus principio eum de more salutatū venirent, ad pacem admonebat, suadens armis templa profanari, funditus demoliri, Dei cultum intermitti, puellas incestari, fruges & bonorum quodcunque genus populari: quod testatur Lucanus dicens:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Quàm plurima Italiæ templa crebris donis cumulatissima reddidit. Summa, hic Pontifex fuit morum probitate, vitæ sanctimonia, atque omni disciplinarum genere ornatus, tam proceribus, quàm plebeis dilectissimus, quorum omnium non paruo mœrore vitam exhalauit anno sui pontif. octauo, die 26. Iulij, 1492. Cæterùm nequaquam, sicut virtus illius merebatur, reportauit gratiam. Vrsini enim & Columnenses Rhomani proceres eius pios hortatus aspernati, intestinis bellis vrbem infestantes, se inuicem lacerabant, & incredibili damno, inuito Pontifice, vrbem affecerunt. Idcirco inuidia gloriam consecuta, iudiciaque nocentia super se inducta sentiens, tum quia valetudinarius erat, tum propter crebros bellorum & pestis insultus, quibus tota Italia laborabat, complura, quæ sanctius consultiusque animo conceperat, reliquit, atque fatis concedens vita excessit. Hoc ergo illud est, quod Anselmus inquit, vt priueris à sole desuper. Supremus enim Sol est Deus, qui nos bonis magistratibus priuat, cùm à nobis pro nihilo ducuntur. Cæterùm quid tandem huius optimi Pontificis mortem consequitur? sanè non aliud, quàm quod

Ansel-

Anselmus prædixit, Væ Ciuitas sanguinum, vniuersa mēdacij, dilaceratione plena: *Vrsinos & Columnenses tum sanguinolentos, se inuicem dilacerantes, expressè innuens: atq; id genus alios. Quid sequitur?* Non recedat, *inquit Anselmus,* à te rapina, vox flagelli, & vox impetus, rotæ & equi frementis, *id quod Rhoma, mortuo Innocētio sub Alexandro sexto persensit. Rhomam enim Carolus Francorum rex octauus subegit, & Valentinum Borgiam pontificis propinquum, cum quibusdam castellis obsidem à Pōtifice accepit. Breui tota Italia subacta, Europam Asiamq; tāto terrore oppleuit, vt, audita eius fama formidabili, Thurcus de bello cogitare cœperit. Nihil dicam de Iulij secundi intestinis bellis, multi sudoris & sanguinis: profectò Carolus Borbonius, vt antea dictū est, acerbissimè in Rhomā inuasit, & crudelissimè in ea capta sæuitū est, capto etiā Clemente pontifice, ipsaq; Rhoma populata, direpta, & propemodum solo æquata fuit, atq; sedes Rhomana grauissimam cladē accepit. sed tandē cùm omnia gesta Cæsare nesciente fuissent,* reuerētia & deuotio *Rhomæ restituta est. Non multò pòst enim Cæsar pontificē priori dignitati restituit, & facta turbarum omnium obliuione, in amicitiam recepit. Cæterùm vt imago fidem inueniat, Caroli Francorum regis* cor ab habitatione, *id est obediētia Rhomanæ Ecclesiæ cōmutatum fuit,* eiq; cor feræ, *id est crudele & astutū, quod bestia crudeli, & cauda vulpina testatur,* datū, *quo tā formidabilis omnibus est effectus. Huic coactus est pontifex* coronam pontificiam, *id est obsides dare. Hæc sæuitia per* septē tempora *durauit, sicut Nabuchodonosoris cū beluis pastus Dan. 4. Aut si ad pontificē referatur tunc symbolicus sensus erit. Cor pontificis est Germania, veluti cui pōtifex imperij Rhomani sceptrū adimēs Græcis, dedit. Posteaq; enim Cōstantinus Magn⁹, relicta Rhoma ad Orientē desedit, et sublatū Imperiū 330. annis*

post Augustulum in Oriente cessauit, Leo Papa tertius, Carolum Magnum contra quorundam tyrannidem euocauit Rhomam, ibique Imperatorem etiam populi Rhomani precibus declarauit, & diademate Imperatorum peruetusto, Anno Christi 801.*inauguratum consecrauit, tandem defunctis Carolinis, Otto primus Germanorum imperator à Ioanne XII. pont. anno Christi* 962.*creatus. Itaq; imperio ad Ottones deuoluto, in Germaniam translatum est: vbi huc vsq; cõseruatur, quod vt apud Germanos solidiùs, & firmiùs subsisteret, supra quatuor columnas fundatum est, vt omnes dignitates quaternionibus cõstarent, exceptis Electorib. Ecclesiasticis, qui triade consistunt. Electores proinde septem cõstituti Imperatorem delectum, vltimò in perpetuam memoriam potestatis Pontificiæ, & donationis, Pontifici Rhomano inaugurandum & consecrandum relinquũt, vt qui ab eo inauguratus nõ sit, non nisi electus Imperator dici possit. Hæc ideo addere volui, vt omnes principes Imperij reluctantes Pontificiæ potestati, intelligant, se crimine læsæ Maiestatis teneri, & ab ingratitudine non multum distare, cùm illum spernunt, à quo omnia habẽt. Igitur* Cor Pontificis, *id est Germania ab habitatione* commutabitur, *id est auertetur ab Ecclesia Rhomana :* cor feræ dabitur ei, *id est Germania fera, agrestis, ingrata, indomita, scilicet hæresibus infecta, schismaticis factionibus & tumultibus agitabitur,* donec septem tempora mutentur super eam, *id est septem reges vel Cæsares: Hæc enim ad inuicem Geometrica proportione intelligenda veniunt. Quocirca imago bestiæ Germanicam denotat hæresim, quæ pontificiam potestatem sibi arrogat. Id quod & Ioachim super Esa. part.* 1. *De onerib. sexti. temp. expressit, inquiens,* Futurum est, vt Ecclesiam Rhomanã in partibus occiduis constitutam, Theutonicorum potentia conculcet. Nam sicut peccati radix Antiochus

finem

finem Iudaicis dedit historijs: sic imperio perditionis filius, pręlijs Germanorum. Nullus enim populorum legitur ad tantam amaritudinem perduxisse Rhomanam Ecclesiam sicut domesticus Alemannus: ab Aquilone Germaniæ illa pandetur hæresis & afflictio, quæ non solùm inuoluet reprobos, sed & electos afficiet, temporibus præfinitis. Huius Aquilonis mater est Saxonia: filiæ verò Magdeburgum, Brãdenburgum, Missnia, Mechelburgum, Islebium &c. leuantes contra dominum spiritum pestilentem. *Hæc ille. Quid obsecro clarius dici poterat de Luthero? patria illius Saxonia, & locus natiuitatis Islebium, quod est Mansfeldiorum ditionis oppidũ nominatim exprimitur. Hunc ait tantum fore hæreticum, vt non solùm reprobos, sed etiam electos sua hæresi sit implicaturus, idque vsq; ad tempus diuinitus præfinitum, & permissum. Hæc prophetia noua non est, sed anno Domini* 1178. *Ioachimo tradita, & postremò, quod sciam, typis, Lazari Soardi Venetijs anno Domini* 1516. *excusa, cuius exemplar penes nos est: cùm tamen Lutherus cœperit insanire anno Domini* 1517. *De hoc* Luthero *Ioannes Liechtenbergius, anno Domini* 1488. *Calend. Aprilis hæc prædixit, quæ sequuntur.* Monachus, *inquit*, in cuculla, & diabolus in scapulis eius retro, habens loripium longum ad terram, cum amplis etiam brachijs habens discipulum secum stantem. Hic propheta erit dijs & dæmonibus terribilis, signa multa, & prodigia faciet, eius quoque aduentum praui dæmonum spiritus fugient, præclarũ habebit ingenium, multarumq; rerum scientiam & sapientiam in hypocrisi, tamen mendacium sæpius loquetur, & cauterizatam habebit conscientiam. Erit quoque multi sanguinis effusionis caussa. Quanquam

ita ſigna multa & prodigia dederit, iuxta tamen ſaluti-
feram Chriſti doctrinam minimè ei adhærendum erit:
imò de illis eſſe videbitur, quos Chriſtus futuros an-
nunciauit, quemadmodnm ſacris literis à ſaluatore
noſtro proditum reperitur. Matth. 24. Si quis vobis
dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere.
Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, &
dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorē ducan-
tur, ſi fieri poſsit, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si igi-
tur dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire
Ecce in penetralibus eſt, nolite credere, &c.

*Hæc ille. Imago, vt illam Liechtenber-
gius depinxit, talis eſt.*

Rectè





Rectè hic Lutherus *depingitur. Fuit enim* Monachus *sub instituto Eremitarum beati Augustini.* Tot signa edidit vt etiam electis imposuerit. *Fuisse autem illum* caussam multi sanguinis effusionis, *nemo est, qui nesciat, & hodie passim nō videat. Porrò* mendacia splendidissima *sæpe illū protulisse, scripta illius testãtur.* Discipulum *habuit* Melãchthonem, *& suum logodædalum. Optimè igitur Ioachim loco citato prædixit. Alemanni, inquit, insidiabūtur Ecclesiæ cum suo filio perditionis: & cum Francis conspirabunt aduersus apostatricem Eccle-*

ſiam in pontificibus bellicoſis. Idcirco in ſpiritu Amon & Moabitarum, Angli & Franci verè fallaces & duplices in anguſtia temporis ſecuturi, non ſolum in reges ſuos deſæuient, ſed & præſules de terra proſcribent. Hæc ille. Nihil poterat clarius de noſtris turbulentis iſtis temporibus & calamitoſis dixiſſe. Filium perditionis Lutherum intelligit, cum quo, id eſt cuius doctrina freti Alemanni inſidiātur Eccleſiæ. Nec ſufficiebat id illos tantùm moliri, niſi & Anglos & Francos in illam concitaſſent. Quod autem apoſtatricē Eccleſiam Rhomanam appellat, non eſt quod id nobis Pſeudomagus obyciat: nō enim hic fidei quicquam derogat, ſed luxui & malis illius operibus. imò eodem loco, hæc ſunt Ioachimi verba. Quoniam, inquit, Rhomana Eccleſia non ſicut Iudæa, & Græcia in fide refriguit: etſi ab operibus iuſtitiæ deuiauit: quia tamē aliarum reſpectu ſedium, in atrium exterius, quod eſt foris templum gentibus datum tributarum, Solis æterni ciuitas reputatur: ſemen in ea Dominus benedictionis & gratiæ dereliquit: per quod vſq; in finem ſeculi, fily pro patribus ſurgerēt, indiſciſſam fidei tunicam, inter mūdana diſsidia conſeruarent: vnde ſequitur, Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſsemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſsemus. Sed non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de fœmore. Geneſ. 49. Deinde inquit Dominus Matth. 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ipſa eſt firmamentum in medio aquarum Gen. 1 Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Venerunt flumina & flauerunt venti & impetierunt domum illam, nec corruit: fundata enim eſt ſuper petram. Matt. 7. Idcirco ſpiritus Domini, illud ſeptiforme candelabrum reprobauit, ſcriptura dicente, Repulit tabernaculum Silo: & iterum, Tribus Effrem non elegit, ſed tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit. Ex quibus colligitur, quòd Orientali Eccleſia reprobata pro meritis,

Rhoma-

Rhomanam Ecclesiam vbiq; diffusam Dominus reseruauit in tēplum. Itaq; etsi ad subuertendam humilium pietatem, furor istiusmodi Chaldæorum ferocium in odium Petri sedis exeritur: tamen diebus Aquilæ discurrentibus, vndequaq; fulminibus reprimetur, vt tam in Citensibus, quàm Saltzburgensis ex Iuda omnis armatura depereat, vel persequendi materia reticescat. Quocirca Rhomana Ecclesia mysticè præfecta est cunctis Ecclesijs, sicut tribus Iuda cæteris tribubus Israelis. Ipsa enim est de qua Zacharias scribit, Ponam Ierusalem in lapidē oneris: licet à pressura seculi expers esse non poterit. Hæc ille. Plura in effigie duplicis Ecclesiæ, eiusdemq; duplici facie. Vnde abundè satis constat, quid de potestate & principatu Rhomanæ Ecclesiæ, atq; perpetuitate, & puritate fidei illius Ioachim sentiat: quamuis à iustitiæ operibus deflectat aliquando: quia militans est, non triumphans, quæ & cadit & resurgit, & bonos illa & malos continet. Neq; verò quisquam in Ecclesia, Apostolorum pietati cōferendus est: tamen Apostolos docuit dominus ipse orare, vt dimittātur illis debita: Si ergo Apostoli peccatores fuerunt: sicut & Ioannes inquit, Qui dicit se absq; peccato esse mendax est, & veritas in eo nulla: quid igitur Pseudomagus, neglectis suis peccatis, tātoperè aliena perstringit? Eijciat prius trabem ex oculo suo, tandem ad festucam proximi se conuertat: sed valeat turpissimus pseudomagus cū suis nugis. Et hic enim bestiam formidabilem in agnum commutauit: cui tamen nec vaticinium respondet, nec vetustissimum exemplar. Ita patet iuxta veritatem historicam, & Symbolicam scientiam, quam primo tomo Miscellaneorum tradidimus, hæc vaticinia omnia iam transacta esse, nihilq; horum imminere, & Pseudomagum turpissimè errasse, & multis pijs imposuisse, atque omnia illa ab eo non in alium finem excogitata & conficta esse, quā ad concitandos aduersus Clerum vulgi animos, & factiones atq;

sedi-

ſeditiones conſtituendas: quod auertat is, qui eſt pacis omniumque rerum autor & Dominus, Amen. Poſtremò diligenter obſeruanda ſunt paradoxa vaticiniorum. Quotieſcunque enim in aliquem magiſtratum incidit aliquod illorum, non dubites quin illud idem vaticinium, illi paradoxo conueniens, eueniat.

FINIS.